



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Hadrianus VI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ac Religionis fuit; sed nos, quibus tandem verbis, quò laudum genere, vel hanc pietatem tuam, hanc uberrimam velut ex cœlesti fonte doctrinæ copiam commendabimus? vel tuæ erga nos voluntati, qui nobis ipsi tam nobilem partem Ingenii tui dicasti, Gratias agemus? Superat hoc utrumque non solum verba, sed etiam cogitationes nostras; nec verò de tuis officiis ac meritis tantum possumus animo concipere, quin à te vincamur ipsa.

Qui enim in te amor, quod studium defendendæ Christianæ Fidei? quanta erga nos ipsos Benevolentia? quæ denique operis ipsius gravitas? qui ordo? quanta vis eloquentiæ? ut Sanctum affuisse Spiritum appareat; omnia plena iudicii, plena sapientiæ, plena pietatis; in docendo Charitas, in admonendo mansuetudo, in redarguendo veritas; ut si homines sint, qui à te resistentur, ac non omnino in pessimi Dæmonis potestate abierunt, tuis scriptis ad sanitatem debeant reduci, si modo ullus relictus est sanitatis locus.

Sunt hæc præclara omnino & admirabilia, quæ quoniam à te, novâ ratione, magnifico munere, Deo Maximo, & huic Sanctæ Sedi elaborata sunt, agimus Majestati tuæ infinitas gratias, *O Fidei Defensor!*

Agit Sedes Apostolica, agunt omnes, qui Christum colunt, & in ejus Fide censentur Christiani, quorum maximis damnis, atque periculis (siquidem nullum majus est, quam animarum periculum) tuâ hæc insigni & singulari pietate, . . .

Et nos quidem titulum hunc Defensoris Fidei, de eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum assensu, tibi per alias nostras sub plumbo litteras contulimus, ut ex ipsis potuisti cognoscere, sed tu charissime Fili, ita hos honores, quos tibi in præmium tuæ præclarissimæ virtutis, in signum suæ erga te gratæ voluntatis, Sancta Sedes defert Apostolica, & magnos & expetendos esse puta, ut tamen illis longè majora & præstantiora arbitrare tibi in cœlo à Domino & Salvatore nostro parata præmia sunt, cujus causam & Sponsam defendendo omni genere tutelæ, & animum & virtutem tuam adhibuisti, ut dum hos in terris, quos adeptus es, titulos recenseres, & cœlestia illa cogitabis, tecum ipse recordare, quibus es meritis ista consecutus, talemque te imposterum qualem antea præstes, ac principii sublimibus & gloriosis pares sint exitus, ipsaque Sedes Apostolica, quæ olim tuis defensâ armis, Fides quoque Christiana, quæ nunc Doctrinæ tuæ clypeo adversus sceleratas hæreticorum insanias communita est, sentiant te eundem semper, experianturque tutorem in periculis suis omnibus, ut istam singularem & inenarrabilem gloriam, quam Majestas tua maximis tuis operibus jure optimo promerita est, ad extremum usque hujus vitæ diem, & producere possis, & eam in omni posteritate prædicandam relinquere.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die quarta Novembris, millesimo quingentesimo vigesimo primo, Pontificatus nostri anno nono.

Ja. Sadoletus.

HADRIANUS SEXTUS.  
PONTIFEX CCXXII.  
ANNO DOMINI MDXXI.

Vide Compendium Vitæ in Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 622.

Bulla pro triennialibus treguis inter Principes Christianos, & pro expeditione contra Turcas: anno 1523.

HADRIANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Monet nos veritas in Propheta, vigilem Pastorem venientem gladium ex specula prospicere, atque annunciare oportere, alioquin animarum, quæ perierint, exactam rationem ab eo requirendam esse. Hoc potentius cogitantes Romani Pontifices Prædecessores nostri, præsertim ab eo tempore, quo Turcarum effrænata rabies Constantinopolin expugnavit, ac procul inruentes hostilem gladium Christianorum jugulis in dies magis imminentem, ad Christianos omnes, & præsertim Principes, qui juxta Isidorum à Christo Ecclesiam tuendam susceperunt, clamare, ac eos monere non cessarunt, quantum universæ Christianitati periculum atque excidium immineret, nisi mutuarum inter se dissensionum & discordiarum oblii, communi hosti resisterent, atque impetum Christianam Religionem funditus evertere molientis reprimerent. Hactenus tamen malo nostro annunciata calamitas non fuit credita, non fuerunt audita ipsorum Pastorum voces, sed utiles eorum admonitiones furdo pertransivere aure Christiani Principes, quorum culpâ, immanissimo Christi hoste invalescente, Christiana Respublica innumeris cladibus ac ruinâ vexata atque afflicta fuit, ac tot jacturas & irreparabilia damna accepit, ut nemo Christi fideles, absque ingenti mænore & lachrymis, ea referre audirè possit. Quis enim à lachrymis absteineat, audiens Sanctam illam Jerusalem, ac Sacrum Calvariæ montem, salutiferæ Crucis Triumpho inclutum, Sacratissimæque Loca illa, quæ Dominus & Salvator noster JESUS CHRISTUS, humana carne vestitus, & Sacri Discipuli ejus incolere, ab infidelibus Barbaris occupata detineri, nec à nobis ipsum Domini sepulchrum, nisi precio Dominici nominis blasphematoribus persoluto, visitari posse? Quis non piè ingemiscat, animo reputans, Patriarchiales illas Sedes Sanctorum Patrum, suavem odorem adhuc redolentes, spurcissimis Christi hostibus fervire, Constantinopolim, Græciæ lumen, & Orientalis Imperii caput, reliquamque Græciam, & magnam Europæ partem, Syriam, Asiam ipsam fere universam, ab infidelibus Turcis, Christianorum Principum culpâ ablata fuisse, miserosque Christianos illic degentes, nisi Christum abnegare, & Mahumeticæ impietatis, & Sathanae mancipia fieri velint, dira & crudeli Barbarorum servitute opprimi? Quis, ut antiqua & vetera omittamus, non perterreatur atque exhorrescat, cogitans modernum Turcarum proximo anno Belgradum, quod totius Regni Ungariæ claustrum semper fuit, brevissimo temporis spatio cæpisse? Nuper verò Insulam Rhodum totius Orientalis Maris januam, ab Jerosolimitanis militibus per tot annos defensam, multisque Turcarum cladibus nobilitatam, etsi maximis terrâ, marique copiis obsessam, non usque adeò tamen coarctatam, quin si Christiani Principes inter se juncti, ac potius quæ Jesu Christi, quam quæ sua cujusque erant quaerentes, maturè succurrissent, & Rhodus ipsa (ut aliàs parvo subsidio memoriâ nostrâ factum fuit,) liberari, & de hostibus victoria cum Dei adiutorio obtineri potuisset, in ditionem ac potestatem suam redegit, & nunc tot, & tantis rerum successibus elatum, apertè minari, se almam Urbem Romam, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, aliorumque Martyrum sanguine consecratam, in qua Vicarii sui Sedem esse voluit Altissimus, expugnaturum, ejusque sanctissima Templâ, ac Sanctorum venerandas Reliquias prophanaturum, demum Christianum omne Imperium, & ipsius Christi Nomen funditus everfurum. Quocirca nos considerantes, quod Salvator noster Dominus JESUS CHRISTUS, in Excelsis tenens Imperium, gregis sui tutelam non deserens, Romanum Pontificem in terris Vicarium suum constituit, qui dictum gregem vigilantî curâ protegere, ipsamque Ecclesiam ab omnibus adversis, quantum in se esset, conservare, defendere, ac Reges & Principes ad Imperii fastigia divinâ permissione vocatos contra Barbaras Nationes, Catholicam

Fidem

fidem opprimere conantes, potissimum inducere atque animare debeat, animoque revolventes nostri Officii esse, his præsertim difficillimis & calamitosi temporibus, inter ipsos Christianos Reges & Principes mutuis, inter se discordiis & dissensionibus divisos, pacem, quam Christus in Cælum ascensus tanquam munus hæreditarium Discipulis suis reliquit, seminare, memoresque nos postquam de nostra ad Summi Apostolatus apicem assumptione, in longinquis Hispaniarum partibus positi, certiores facti fuimus, antequam ad hanc urbem nostram iter arriperemus, Reges, Principes & Potentatus Christianos, Litteris ac Nuntiis ad hoc unum destinatis, ad perpetuam inter se pacem, & concordiam, vel saltem annorum aliquot inducias quam instantissime hortatos fuisse, eosque admonuisse, nullum aliud rebus nostris remedium contra formidandam Turcarum potentiam superesse, quam si illi, inter se reconciliati & uniti, conjunctis Viribus perfidorum Hostium Consilia præverterent. Et postquam, Deo favente, ad urbem ipsam appulimus, nihil ardentiori studio & conatu procurasse, quam concordiam seu inducias hujusmodi, & tamen ob quorundam dictorum Principum, heu! nimis inveterata inter se odia hujusmodi instantiam nostram perparum profecisse, ut Regibus, Principibus, Potentatibus, ac aliis præfatis nulli excusationi locus ultra relinquatur, omnesque intelligant, nos nihil quòd ad Pastorale officium attinet obmississe, cogimur, ex quo humana admonitio, atque auctoritas, uti experientia docuit, ad præmissa frustra tentata est, Annorum aliquot inducias seu Treugas inter ipsos Reges, Principes, ac Potentatus, sub Ecclesiasticis censuris & pœnis, divina auctoritate, quâ JESU CHRISTI in terris Vicarium, licet immeriti agentes fungimur, indicare, ut, si non Zelo Fidei ac Religionis ipsius Christi, cujus causa agitur, saltem divini Judicii metu ad cor redeant, & privatis affectibus publica commoda anteponant. Habita igitur super his cum Venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, matura deliberatione ac diligentissimo examine, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, & individua Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, atque ad revocandam, saltem ad tempus, hæreditatem Domini ad pacem, scilicet, atque concordiam, à Christianis hinc, tandiu nostris demeritis exulantem, atque ut tandem sancta & pernecessaria expeditio, universali Christianorum damno & dedecore tandiu procrastinata, ulterius non differatur, quorundam Prædecessorum nostrorum, præsertim Innocentii III. Nicolai V. & aliorum vestigiis in hærentes, triennales Inducias seu Treugas, inter omnes Reges ac Principes, Communitates, Potentatus, Respublicas, cæterosque Christi Fideles Seculares, & Ecclesiasticos, de Omnipotentis Dei, ac præfatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & eâ quæ nobis ex alto concessa est, auctoritate, ac de eorundem Fratrum Consilio & assensu, indicimus, ac eosdem Reges, Principes, Communitates, Potentatus, Respublicas, cæterosque Christi Fideles omnes, præmissas Inducias seu Treugas, sub excommunicationis lætæ sententiæ anathematisque, & interdicti Ecclesiastici, in terris & Dominis eorum omnium & singulorum, pœnis, dicto durante triennio, inviolabiliter servare debere decernimus. Eos nihilominus, in virtute Sanctæ obedientiæ, requirentes, ac per viscera Misericordiæ Domini nostri JESU CHRISTI, per acerbissimam passionem, quam immaculatus & innocens Agnus, ut nos miseros peccatores ab æterna morte redimeret, pati dignatus est, per Judicium extremum, in quo omnes stabunt ante Tribunal ejus, accepturi, unusquisque secundum opera sua, perque spem vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se, paterno affectu obstantes, ut in unitate & caritate mutua, sine qua nihil Deo acceptum esse potest, perseverantes à mutuis offensionibus ab-

stineant, armaque bellica Christiani contra Christianos, dicto durante triennio, amplius non exercent. Satis enim superque fraterni Sanguinis per fratres effusum, satis cum gravissima Dei offensâ inter vos, Christiani Reges, Principes & Potentatus, sævitum est. Velitis ergo injuriarum, quæ inter vos invicem illatæ atque acceptæ fuerunt, propter Christum Redemptorem vestrum, saltem ad tempus, oblivisci, ut manifestæ ruinæ, nobis & universæ Christianitati ab immanissimis Christi hostibus imminenti, unione & concordia vestra occurrere, unitisque animis & armis hostes ipsos, non tam propriis Viribus suis quam vestris discordiis & dissensionibus confidentes, à vestris & subditorum vestrorum omniumque Christianorum cervicibus repellere, nec non tot Civitatibus, Provinciis, & Regnis nobis adeptis, recuperandis fratribusque vestris, crudelissimo servitutis jugo tandiu oppressis, opemque vestram sublati ad cælum manibus implorantibus, à perfidissimi Turcarum tyranni jugo durissimo eripiendis, viam parare possitis; Date inducias has Deo, à quo tam amplam in terris potestatem accepistis, ut eo vobis hoc pacto placato, potestatem vestram, alioquin, ut certo expectare potestis, vobis auferendam, retinere mereamini; Date denique inducias ipsas Christo Salvatori nostro, qui in ligno crucis tenso Corpore pendens crucifigentibus se pepercit, ac Deum Patrem pro illis etiam rogavit, qui nos de nihilo à se creatos, & per primorum parentum inobedientiam exules Paradisi factos, nullis nostris meritis, sed infinitâ suâ clementiâ precioso suo sanguine redemit, ne si, quòd absit, privatas inimicitias & commoda vestra ejus honori præferentes, tam immensis ejus beneficiis ingratos vos exhibueritis, Sacramque ejus Religionem à perfidissimis hostibus conculcari, & innumerabiles ipsius Christi Sanguine redemptorum animas vel in miseriam servitutem adduci, vel in exitiale infidelitatis Barathrum præcipitari permiseritis, horrendum & durissimum ipsius, qui terribilis est, & aufert Spiritum Principum, Judicium & in præfatis & in futuro contra vos provocetis. Cæterum, quia forte, peccatis nostris exigentibus, inimicus humani generis, ubi dictæ Induciæ per vos nostris, immò divinis, his mandatis obedientes acceptatæ fuerint, quas à principio impedire non potuit, temporis successu, perturbare non desinet, licet eam de prudentia, magnanimitate & constantia vestris in Domino Fiduciam habeamus, ut nullo modo vos ejus malignitati locum daturus arbitremur, tamen propterea Induciæ ipsæ non dissolvantur, dubiorum, si qua super Induciis hujusmodi aut earum dependentibus emergentibus, annexis, vel connexis quoquomodo oriuntur, decisionem & declarationem nobis, tanquam summi Pacis Auctoris vices in terris gerentibus, una cum præfatis Fratribus nostris reservamus, ipsis Induciis nihilominus juxta præsentium litterarum tenorem in suo robore permanfuris: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, decreti, requisitionis, obtestationis & reservationis infringere.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleesimo Quingentesimo vigesimo tertio, Pridie Calendas Maji, Pontificatus nostri anno primo.

CLEMENS SEPTIMUS.  
PONTIFEX CCXXXIII.  
ANNO DOMINI MDXXIII.

Clemens ex illustri Medicea Familia Adriano VI. surrogatus est anno 1523. ab Æthiopum Rege per Legatum est salu-

tatus.

ratus. Hac tempestate Româ per Borbonium Ducem expugnata, in arce Sancti Angeli Pontifex se inclusit, inde liberatus, dum aufugit, Henricum VIII. Angliæ Regem ob repudiatam Catharinam Austriacam excommunicavit. Obiit anno 1534. Sedis II. Vitæ 56. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Lux. 1727. fol. 633.*)

Bulla quæ Parrochialis Ecclesiæ Disingiaci unionem Mensæ Capitulari Ecclesiæ Gebennensis decernit: an. 1523.

### CLEMENS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**R**ationi congruit & convenit æquitati, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu litteræ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum fortiantur effectum. Dudum siquidem felicitis recordationis Leo Papa X. Prædecessor noster omnia beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi & dispositioni suæ reservavit, decernens extunc irritum & inane, si secus super hiis à quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari; Cumque postmodum parrochialis Ecclesiæ Disingiaci Gebennensis Diocesis, per liberam resignationem dilecti Filii Georgii de Anisio, olim ipsius Ecclesiæ Rectoris, de illa quam tunc obtinebat, per dilectum Filium Johannem Charpillat, Clericum Bisuntinensis Diocesis, Procuratorem suum, ad id ab eo specialiter constitutum, in manibus dicti Prædecessoris sponte factam & per eundem Prædecessorem admissam, apud Sedem prædictam vacavisset & vacaret tunc, nullusque de illa præter eundem Prædecessorem ea vice disponere potuisset sive posset, reservatione & decreto obstitentibus suprascriptis, pro parte dilectorum Filiorum Capituli Ecclesiæ Gebennensis, eidem Prædecessori exposito, quod cum infra limites Parrochiæ ipsius Parrochialis Ecclesiæ Sex ex Canonicis præbendatis dictæ Ecclesiæ Gebennensis, factus Præbendarum suarum seu illarum ratione pro majori parte decimas fructuum, in ipsa Parrochia excrescentium, nec non duas tertias partes omnium oblationum, ac ex sepulturis provenientium obventionum ejusdem Parrochialis Ecclesiæ perciperent, si dicta Parrochialis Ecclesiæ, ad quam, dum pro tempore vacat, nominatio personæ idoneæ ad Canonicum Ebdomadarium præfata Ecclesiæ Gebennensis, pro tempore existentem, præsentatio verò personæ per ipsum Canonicum Ebdomadarium, pro tempore nominatæ, per Episcopum Gebennensem, similiter pro tempore existentem, ad præsentationem hujusmodi instituentæ, ac præfatos Capitulum de antiqua & approbata eatenusque observata consuetudine pertinebat, Mensæ Capitulari ejusdem Ecclesiæ Gebennensis perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex eo profecto contentionibus & contrariis, quæ inter Sex Canonicos præfatos, aut pro eis agentes, ac Rectorem ipsius Parrochialis Ecclesiæ pro tempore existentem, occasione perceptionis decimarum, oblationum & obventionum prædictarum annuatim oriri possent, obviaretur, ac eidem Capitulo pro oneribus eis pro tempore incumbentibus facilius supportandis, de alicujus subventionis auxilio provideretur, ac pro parte Capituli prædictorum assentientium, fructus, redditus & proventus dictæ parrochialis Ecclesiæ, viginti quatuor Ducatorum auri de Camera, secundum communem estimationem, valorem annum non excedere, eidem Prædecessori humiliter sup-

plicato, ut dictam Parrochiam Ecclesiam eidem Mensæ perpetuo unire, annectere & incorporare, aliisque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaretur.

Idem Prædecessor, qui dudum inter alia voluerat, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annum, valorem secundum estimationem prædictam, etiam Beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret, ad partes vocatis quorum interesset, qui que ad ea, per quæ Ecclesiarum omnium præsertim Cathedralium insignium, & personarum in illis divinis laudibus insistentium, quieti & commoditati valeret salubriter provideri, solertia suæ curas libenter dirigebat, præfatos Capitulum ac illorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existerent, ad effectum infra scriptorum dumtaxat consequendorum, absolvens, & absolutos fore censens, nec non fructuum, reddituum & proventuum dictæ Mensæ verum annum valorem pro expresso habens, hujusmodi supplicationibus inclinatus, sub dato, videlicet quarto Cal. Julii, Pontificatus sui anno nono, Parrochiam Ecclesiam prædictam, sive præmissa, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscunque persona, seu per similem resignationem dicti Georgii, vel cujuscunque alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus sponte factam, aut Constitutionem piæ memoriæ Johannis Papæ XXII. etiam Prædecessoris nostri, quæ incipit Execrabilis, vel assentionem alterius Beneficii Ecclesiastici, quavis auctoritate collati vacaret, etiam si tanto tempore vacavisset, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem præfaram legitime devoluta, ipsaque Parrochialis Ecclesiæ dispositioni Apostolicæ specialiter vel aliis generaliter reservata existeret, & super ea inter aliquos lis, cujus Statum idem Leo Prædecessor haberi voluerat pro expresso, penderet indecisa, dummodo ejus dispositio ad ipsum Leonem Prædecessorem ea vice pertineret, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, eidem Mensæ auctoritate Apostolicâ perpetuo univit, annexuit & incorporavit, ita quod liceret eidem Capitulo per se vel alium, vel alios corporalem possessionem Parrochialis Ecclesiæ, juriumque & pertinentiarum prædictorum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus & proventus, in suos & Mensæ ac Parrochialis Ecclesiæ prædictarum usus & utilitatem convertere, ac eidem Parrochiali Ecclesiæ, per Presbyterum idoneum, per prædictos Capitulum loci Ordinario præsentandum, & per ipsum Ordinarium ad præsentationem hujusmodi instituentem, ac per eosdem Capitulum, quoties eis videbitur, amovendum, in divinis deserviri, & animarum curam dilectorum Filiorum illius Parrochianorum exerceri facere, Diocesani loci & cujuscunque alterius licentiâ super hoc minime requisitâ.

Non obstantibus voluntate sua prædicta, ac recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. similiter Prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales, dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrassent, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet esset processum, quas quidem litteras & processus habitos per eosdem ac inde secuta quocumque, idem Leo Prædecessor ad dictam parrochiam Ecclesiam voluit non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assentionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegii, indulgentiis & litteris Apostolicis genera-

libus vel specialibus quorumcunque tenorum existerent, per quæ litteris ipsius Leonis Prædecessoris, si desuper confectæ fuissent, non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeret quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in eisdem litteris mentio specialis. Proviso, quod propter unionem, annexionem & incorporationem prædictas, dicta parochialis Ecclesia debitis non fraudaretur obsequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligetur, sed ejus congruè supportarentur onera consueta, idem enim Leo Prædecessor, prout erat, irritum decrevit & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attemptatum forsitan erat eatenus, vel impostero contingeret attemptari.

Ne autem de absolutione, unionem, annexionem, incorporationem & decreto prædictis, pro eo quod super illis, dicti Leonis Prædecessoris ejus superveniente obitu, litteræ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæsitari, dictique Capitulum illorum frustreretur effectu, volumus & dicta auctoritate Apostolicâ decernimus, quod absolutio, unio, annexio, incorporatio & Decretum Leonis Prædecessoris hujusmodi, perinde à dicta die quarto Cal. Julii suum fortiantur effectum, ac si super illis dicti Leonis Prædecessoris litteræ, sub ejusdem diei data confectæ fuissent, prout superius enarratur, quodque præsentibus litteræ ad probandum plenè absolutionem, unionem, annexionem, incorporationem & Decretum Leonis Prædecessoris hujusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleesimo Quingentesimo, vigesimo tertio, Sexto Cal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

A. Luseus.

II.  
Ex Arch.  
Reipubl.  
Genev.

Balla quæ Quæstiores constituit, qui in illos inquirent, qui bona ad Ecclesiam Gebennensem pertinentia occupassent, eosque pro rei natura puniant: anno 1524.

### CLEMENS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, diversis & singulis Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus & aliis Personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, nec non Metropolitanarum & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ac eorundem Archiepiscoporum & Episcoporum Officialibus, seu Vicariis in Spiritualibus generalibus ubilibet constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

**M**ilitanti Ecclesiæ, licet immeriti, disponente Domino, præsentibus, circa curam Ecclesiarum & Ecclesiasticorum beneficiorum omnium solertiam reddimus indefessam, solliciti, ut juxta debitum pastoralis Officii eorum occurramus dispendiis & profectibus, divinâ cooperante clementiâ, salubriter intendamus; Sanè dilectorum Filiorum Præpositi, Cantoris, Sacristæ & Capituli, singulorumque Canonicorum ac aliarum personarum Ecclesiæ Gebennensis, nec non Vicariorum Capellanorum, etiam habitatorum nuncuparorum, & Beneficiorum perpetuorum, in eadem conquestione accepimus; Quod nonnulli Archiepiscopi & Episcopi, alique Ecclesiarum Sineati, eorumque Officiales & Vicarii, nec non alii Clerici & Ecclesiasticæ personæ, tam Seculares, quam diverforum,

etiam Mendicantium Ordinum & Militiarum Religiosæ, exemptæ, & non exemptæ, nec non Reges, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites & Laici, eorumque Officiales, ac communia Civitatum & Universitates oppidorum, Castrorum, villarum & aliorum locorum, ac alia singulare personæ Civitatis & Diocesis, ac aliarum partium diverfarum, occuparunt & occupari fecerunt castra, villas, oppida, & alia loca, terras, domos, possessiones, decimas, donationes, jura, jurisdictiones, feuda, dominia, privilegia, exemptiones & indulgæ, nec non fructus, redditus & proventus, ac alia bona Mensæ Capitularis, nec non Præposituræ, Cantoriæ, Sacristiæ, ac Canonicatum & Præbendarum dictæ Ecclesiæ, ac eidem Mensæ unitorum, & nonnullorum aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura & sine cura Secularium & diverforum Ordinum Regularium; Qui dicti Præpositus, Cantor, Sacrista, Canonici, Personæ, Vicarii, Capellani, Beneficiati, etiam ex certis dispensationibus, & concessionibus Apostolicis, in titulum & commendam, ac alias in prædicta & diversis aliis Ecclesiis & locis obtinent, & nonnulla alia bona mobilia & immobilia, Spirituality & Temporalia ad Mensam, nec non Præposituram, Cantoriam, Sacristiam, Canonicatum, & Præbendas, ac unita & alia beneficia, nec non Præpositum, Cantorem, Sacristam, Canonicos, Personas, Vicarios, Capellanos & Beneficiarios præfatos, tam ratione personarum suarum quam Præposituræ, Cantoriæ, Sacristiæ, Canonicatum & Præbendarum, ac Beneficiorum prædictorum, quam alias communiter vel divisim pertinentia, & ea detinent indebitè occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium vel favorem; Nonnulli etiam Civitatum, & Diocesum ac partium prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eisdem Præposito, Cantori, Sacristis, Capitulo, Canonicis, Personis, Vicariis & Capellanis ac Beneficiatis, super prædictis castris, villis, oppidis, & locis aliis, terris, domibus, possessionibus, legatis, decimis, donationibus; juribus; jurisdictionibus; feudis & dominis ac fructibus, redditibus & proventibus eorundem, & quibusdam aliis bonis mobilibus & immobilibus, Spiritualibus & Temporalibus, nec non diversis pensionibus annuis super certis fructibus, redditibus & proventibus Ecclesiasticis eis assignatis, ac pecuniarum summis & rebus aliis eis debitis, illarumque libera perceptione & solutione; Nec non privilegiis, exemptionibus & indulgæ, eis & dictæ Ecclesiæ, tam à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, quam alias ritè à Regibus & aliis Principibus concessis, ac aliis rebus ad Mensam, Præposituram, Cantoriam, Sacristiam, Canonicatum & Præbendas, ac alia beneficia, nec non Præpositum, Cantorem, Sacristam, Canonicos, Personas, Vicarios, Capellanos & Beneficiatos, communiter vel divisim, ut præfertur, spectantibus, multiplices injurias inferunt & jacturas. Quare dicti Præpositus, Cantor, Sacrista, Capitulum, Canonici, Personæ, Vicarii, Capellani, & Beneficiati nobis humiliter supplicarunt, ut cum eis valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Apostolicam Sedem habere recursum, providere eis, super hoc paternâ diligentia curarem.

Nos igitur adversus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores & injuriatores hujusmodi, illo volentes præfatis Præposito, Cantori, Sacristæ, Capitulo, Canonicis, Personis, Vicariis, Capellanis, & Beneficiatis, remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas & aliis aditus committendi similia præcludatur, Univerfitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum pro vel alium seu alios, etiam si sint ultra loca, in quibus deputati estis Conservatores & Judices, Præposito, Cantori, Sacristæ, Capitulo, Canonicis & Personis

Ecclesie huiusmodi, ac in illa Vicariis, Capellanis & Beneficiatis perpetuis, presentibus & futuris, efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eos seu eorum aliquem super his ac privilegiis, exemptionibus, & indultis predictis, nec non quibuslibet aliis bonis & iuribus ad Praepositum, Cantorem, Sacristam, Capitulum, Canonicos, Personas, Vicarios, Capellanos & Beneficiatos, nec non Mensam, Praeposituram, Cantoriam, Sacristiam, Canonicatus & Praebendas, ac eidem Mensae unita, & alia per ipsos Praepositum, Cantorem, Sacristam, Canonicos, Personas, Vicarios, Capellanos & Beneficiatos obtemperata praedicta, & quae eos obtinere, ac dicta Mensae uniri pro tempore contigerit, Beneficia Ecclesiastica, Secularia & Regularia quaecunque, communiter vel divisim, ut praemittitur, nec non super libera perceptione & solutione pensionum annuarum ac pecuniarum, summarum & rerum aliarum, eis pro tempore reservatarum & debitarum, ab eisdem & quibuslibet aliis indebitè molestari, vel eis gravamina seu Damna, aut iacturas irrogari facere, dictis Praeposito, Cantori, Sacristae, Capitulo, Canonicis, Personis, Vicariis, Capellanis & Beneficiatis, cum ab eis vel Procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti, de praedictis & aliis personis quibuslibet, super restitutione huiusmodi Castorum, Villarum, Oppidorum & aliorum locorum, terrarum, domorum, possessionum, legatorum, decimorum, donationum, iurium, jurisdictionum, feudorum, dominiorum & bonorum mobilium & immobilium, fructuum quoque, reddituum & proventuum, ac aliorum bonorum, nec non pensionum & pecuniarum, summarum & rerum aliarum eis pro tempore debitarum huiusmodi solutione, ac privilegiorum, exemptionum & indultorum praedictorum, nunc & pro tempore eis concessorum, observatione: Nec non de quibuslibet molestiis, iniuriis atque Damnis, praesentibus & futuris, in illis videlicet quae iudicalem requirunt indaginem, summarie, simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicii, in aliis vero ubi qualitas eorum exegerit iustitiae complementum, occupatores seu detentores, praesumptores & injuriatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet & rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, quancumque & quotiescunque expedierit, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis, & nihilominus legitimis per vos super his habendis servatis processibus, eos quos censuras & poenas per vos pro tempore latas incurrisse vobis constiterit, ea incurrisse declaratis, & quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus aggravare curetis. Caeterum si per summariam informationem per vos super his habendam, etiam quoad loca in quibus occupatores, detentores, praesumptores, molestatores & injuriatores huiusmodi, ac alios quos praesentes litterae concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus, requisitionibus, inhibitionibus, ipsis ac citationibus de eis faciendis tutus non pateret accessus: Nos vobis monitiones, requisitiones & citationes ac inhibitiones quaslibet, per edicta publica locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad ipsorum monitorum, requisitorum, citatorum & inhibitorum notitiam pervenire valeant, faciendi, ac eisdem occupatoribus, detentoribus, praesumptoribus, molestatoribus, injuriatoribus, contradictoribus & rebellibus, ac aliis conversatoribus & iudicibus, etiam sub censuris & poenis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniarum, arbitrio vestra moderandis inhibendi, ac loca, ad quae eos declinare, & in quibus scienter stare permisi fuerint, Ecclesiastico interdictione subiciendi, plenam & liberam concedimus earundem tenore praesentium facultatem, ac volumus & Apostolica auctoritate decernimus,

quod Monitiones, Requisitiones, Inhibitiones & Citationes huiusmodi sic factae perinde ipsos monitos, repositos, citatos, inhibitos ardeant, ac si eis factae, insinuae & intimatae praesentialiter & personaliter extiterint. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam Civitatem vel Dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam diatam a fine suae Dioecesis, ad iudicium evocetur, seu ne Iudices & Conservatores a Sede deputati praedicta, extra Civitatem & Dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vires suas committere, aut aliquos ultra unam diatam a fine Dioecesium earundem trahere praesumant, & de duabus diatris in Concilio generali edita, dummodo ultra tres diatras aliquis auctoritate praesentium non trahatur, seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis & violentiis & aliis, quae iudicalem requirunt indaginem, poenis in eos, si secus egerint, & in id procurantes adiectis, Conservatores se nullatenus intermittant, quam aliis quibuscunque Constitutionibus a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de Iudicibus delegatis & Conservatoribus, quam personis ultra etiam certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quae possent in hac parte jurisdictioni aut potestati vestrae, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, quodque vos Filii, Canonici, Officiales ac Vicarii de personis, quae deputari possint Conservatores, non sitis, privilegiisque, Indultis & litteris Apostolicis quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus & piis Locis, Ordinibus, Militibus, Communitatibus, Collegiis, Universitatibus, etiam Studiorum generalium, Civitatibus, Castris, terris & locis, ac personis tam Ecclesiasticis quam Saecularibus, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, etiam Episcopali, Archiepiscopali aut alia majori dignitate seu auctoritate fulgentibus, ac Capitulis & Conventibus, nec non Regibus, Ducibus, & aliis Dominis temporalibus, etiam contra similes Conservatores per modum Statuti perpetui, etiam motu proprio & ex certa scientia ac de Apostolica potestatis plenitudine, etiam de non trahendo illis aut eorum subditis, extra eorum loca & dominia, aut coram aliis quam eorum Iudicibus & Conservatoribus, etiam vigore sive praetextu quarumcunque litterarum conservatoriarum, quibusvis personis ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam talibus, quod illis nullatenus derogari, aut alias praedictari possit, nisi de eis specialis, specifica, expressa & individua mentio fiat, & alias quomodolibet, aut sub quibusvis tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoris, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis concessis & confirmatis, ac in posterum concedendis & confirmandis, quibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialibus, specificis, expressis & individuis, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales, idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda, aut alia requisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur, praesentibus pro sufficienter expressis totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, seu si aliquibus communiter vel divisim a praedicta sit Sede indultum, quod interdicti, suspensi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium advocari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi & de eorum personis, locis, ordinibus, militibus & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dicta Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris extitit, per

quam præsentibus non expressam, vel totaliter non infertam vicem jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Cæterum etiam volumus, & dicta Apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico præpeditus, quodque à dat. præsentium sic vobis & unicuique vestrum in præmissis omnibus, & eorum singulis, cæptis & non cæptis, præsentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia & singula coram vobis cæpta fuissent, & jurisdictione vestra & cuiuslibet vestrum de prædictis omnibus & singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitisset, & Constitutione prædicta semper Conservatoribus, & aliâ qualibet in contrarium editâ non obstante. Verum quia difficile foret præsentibus litteras ad singula, in quibus de eis fides forsân faciendâ fuerit, loca deferre, etiam volumus ac eadem auctoritate Apostolica decernimus, quod earum transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Curie Ecclesiasticæ seu personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, munitis, in iudicio & alibi, ubi fuerit opus, eadem profus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo, vigesimo quarto, Pridie Non. Maji, Pontificatus nostri, anno primo.

Henrico VIII. Angliæ Regi titulum Defensoris Fidei confirmat: anno 1524.

### CLEMENS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio nostro Henrico, Angliæ Regi illustri, Fidei Defensori, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

**D**ecet nos, dono Dei Altissimi, in ea positos specula, unde omnium, ac præsertim eorum, qui Principatus & Imperia à Deo Optimo Maximo obtinuerunt, longè & latè merita prospicere possumus, ita benemerentibus habere promptam gratiam, ut si vè nostra iudicatio, quid & quantum unicuique tribuendum sit, & in iudicando sumus & in remunerando liberales, si vè Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum id fuit arbitrium, quoque libentissimo animo comprobemus. Cum igitur tu Fili noster carissime Henrice, non uno & altero præclare facto, sed perpetuo instituto Vitæ tuæ Regis maximi Virtutem ita undique perfectam & absolutam præstitis, ut & arma, quibus plurimum vales, & Doctrinam ac Sapientiam, ex qua summam Laudem es adeptus, ad Deum & Dei Religionem defendendam semper contuleris, Fideique Sanctæ etiam Libro adversus Lutheri Hæresim, mira eruditione & eloquentiâ edito, extiteris Defensor ac penè Patronus, Felicis Recordationis, Leo decimus, Prædecessor & Frater Patruelis noster, de Consilio Fratrum suorum (de quorum numero tunc eramus) Sententiâ, te, ad cætera tua nomina Regalia atque ampla, Fidei Defensorem voluit appellari; atque hoc eximio titulo, non tam laude hominum, quam ex cælesti commendatione deprompto, Serenitatem tuam insignivit; quod nos ab illo factum iustissimè ac sapientissimè agnoscimus. Cum enim tuam & in regendis Populis tibi creditis iustitiam, & in amplissima potestate, pari clementia temperandâ, moderationem, & Christianæ Religionis integram, puram, inviolatamque observantiam, in Deum quoque ipsum, & omnia quæ Dei sunt, admirabilem quandam pie-


tatem respicimus, cum intelligimus & cernimus, quantum in bello consilio & virtute polleas, in pace, ut omnia ad subditorum salutem dirigenda putes, quemadmodum tu unus propemodum Regum omnium, inaudita quadam magnitudine ingenii, duo diversâ Studia in unum conjuncta habeas, & quod in Doctrina & Sapientia positum quietem & suavitatem habet contemplationis, & quod in Tumultu Actionibusque Civilibus agitarum curam suscipit rectionis: In utroque verò usque adeo excellas, ut possis cum his, qui in singulis elaborarunt, maximis, & prudentissimis Principibus comparari. Hæc inquam de te cum cogitamus & agnoscimus, omnem humanam laudem, tua incredibili Virtute inferiorem statuamus necesse est: Atque hæc, tanto in te præstantiora admirabilioraque sunt, quod nullâ nequam querelâ violata, nulla commutatione voluntatis fuerunt interrupta, neque verò, aut privatæ cupiditatis causâ simulata, aut populari Gloriae data, sed vera & incorrupta virtus; nec Præmium aliud requisivit quàm semetipsam; & Theatrum unicum suæ Gloriae voluit esse Deum; Itaque in divinis ferme versata rebus; incredibilem quodammodo, & communi naturæ repugnantem celebritatem assecuta est: Nam Belli Labores & pericula ob eas causas suscipiuntur, ut aut ultio Injurie ab hostibus repetatur, aut plus habendi cupiditas expleatur, tu nullâ privatim læsus injuriâ, nullius rei alienæ appetens, ubi primum sensisti, Sanctam Sedem Apostolicam & Ecclesiasticam libertatem vocari in discrimen, tanquàm pius Filius, Matris, tuam implorantis opem, vocè excitatus, Bellum difficile atque arduum suscepisti, tuamque præstantissimam virtutem suis affectibus placatam & liberam alieni, acrem & animosam præbuiti: Deinde verò cum reconciliatis animis eorum, qui Sedi Apostolicæ vim afferebant, expediret Christianæ Republicæ arma ubique poni, tu quamquam Victor, & in hostium Agro, pluribus eorum jam urbibus expugnatis, Castra habens, in obtemperando tamen publicæ utilitati voluisti esse Princeps. Neque Armâ solum (id quod alii quoque egerunt, sed Victoriâ ipsam dimisisti; longè majorem & diviniorem Victoriâ nactus; vicili enim tuum animum, qui cæterorum omnium potuisset esse Victor. Ita cum cæteri Principes humanis quibusdam gradibus ad nobilitatem Famæ ascendant, tu ad singularem & inusitatam laudem cælestibus Operibus pervenisti. Secutum est tempus non minus damnosum Christianæ Fidei quàm turpe; quò (turbante Germaniam impiis & pravis Opinionibus Luthero) non mediocris in animabus Fidelium Labes facta est; quo tempore, tu cum armorum movendorum pro Fidei tutela occasionem non haberes, etiam præstantiora, & ad simile Opus accommodatiora, tui ingenii & Doctrinæ Arma vibrasti, Libroque, in Fidei Christianæ Sacramentorum defensionem, scripto ac divulgato, impiis Hæreticorum Conatibus obviam ivisti, qui quidem Liber, Sancto distante Spiritu, eis luminibus Ingenii scientiæque referuntur est, ut facile appareat, optimam naturam quocunque se verteret ad omnia aptam esse, optimam verò voluntatem, etiam Dei ope & munere in cunctis felicem esse & fortunatam; Propter quæ omnia, Titulum illum, & cognomen Fidei Defensoris, Serenitati tuæ per supradictum Prædecessorem nostrum, iustissimis & plurimis rationibus delatum, Nos quoque in Apostolicæ Potestatis plenitudine, beati Petri, & illius veri Successores, ex certa scientiâ, & propria voluntate nostra; approbamus, confirmamus, tibi que perpetuum & proprium deputamus. Deum Optimum Maximum Servatorem iustorum Regum supplicibus votis deprecantes, ut tantum, & Fidei suæ Sanctæ tam beneficum Regem cum diuturna Salute & Vita, in ipsius Consiliis, & factis omnibus secundans, ad ex-

tremum immortalis tibi Gloria paratâ largiatur, ut, cum cæteris tuis Titulis præstantibus & magnis, Pii, Victoris, semper Felicis, hoc præcipuum & maximum Fidei Defensoris Decus, ac Nomen, Te in Cælum usque & ad perennem illam Beatitudinem comitetur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo vigesimo tertio, Non. Martii, Pontificatus nostri, anno primo.

Ja. Sadoletus.  
A. de Castillo.

In dorso,  
Registrata apud me,  
Sadoletum,



IV.  
Ex Arch.  
Angl.  
Rimer.  
Tom. XIV.  
pag. 18.

De Jurisdictione Cardinalis Eboracensis ad visitandum, & reformandum loca religiosa, Leonis X. & Hadriani VI. Bullarum Innovatio, & Extensio: anno 1524.

CLEMENS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, Tituli Sanctæ Cæcilie Presbytero Cardinali, nostro, & Apostolica Sedis in Regno Angliæ Legato de Latere, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Leet alias, felix recordationis Leo Papa Decimus Prædecessor noster, te ad carissimum in Christo Filium nostrum Henricum, Angliæ Regem, illustrem Fidei Defensorem, pro nonnullis arduis negotiis Reipublicæ Christianæ, suum, & Apostolicæ Sedis Legatum de Latere, ad certum tempus tunc expressum destinaverit. Et inter cætera, tibi omnia & singula loca Religiosorum, tam Virorum, quàm Mulierum, tam exempta, quàm non exempta, cujuscumque Status, Religionis & Ordinis fuerint, eorumque Præsidentes & alias Personas, tam in Capite quàm in Membris, quoties opportunum foret, per te vel alium idoneum, quem ad id deputandum duceres, Auctoritate Apostolicâ visitandi & reformandi, & de eorum vita & moribus inquirendi, castigandi, & puniendi, ac alia tunc expressa faciendi, & exequendi facultatem per quasdam litteras concesserit, non obstantibus quibuscumque Privilegiis, & Indultis Apostolicis, eisdem Locis & Ordinibus, sub quacunque forma verborum concessis, etiam in eis caveretur expressè, ut neminem, contra vel præter hujusmodi Privilegia & Indulta, ad se visitandum vel aliter admittere teneantur, nisi eorundem Privilegiorum & Indultorum expressa, ac de verbo ad verbum mentio fieret. Ipsæque Leo Prædecessor, Legationem & Facultatem hujusmodi diversis temporibus & facultatibus prorogaverit. Et piæ memoriæ Adrianus Papa Sextus, etiam Prædecessor noster, Legationem & Facultatem hujusmodi ad certum aliud tempus tunc expressum per alias suas innovavit. Et nos Legationem, Concessionem, Facultates, & desuper concessas litteras prædictas innovaverimus, & extenderimus, & ampliaverimus, ac omnibus illis, quæ præfati Antecessores nostri in suis litteris noluerunt non obstat, derogaverimus, prout in singulis litteris prædictis, quas his pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Tamen nonnulli Religiosi, se, prætextu Privilegiorum Apostolicorum suorum, exemptos esse asserentes, Facultates tibi circa præmissa à præfatis Prædecessoribus, & à nobis concessas in dubium revocare nitentes, & tuam jurisdictionem declinantes, à visitationibus per te ad Religionis Conservationem,

Ecclesiasticorum Morum Restitutionem, & Lutheranae, aliorumque scandalorum, & Hæresium extirpationem institutis, appellarunt & provocarunt, nec non Appellationes & Provocationes hujusmodi, fortè in Romanâ Curia aut alibi committi obtinuerunt, prætendentes, inter cætera, Ordini suo seu forsan eorum alicui speciali Domui vel Conventui à Romanis Pontificibus esse concessum, ne quis Legatus de Latere eos visitet, in cujus Facultatibus non fieret tum Ordinis, tum Privilegiorum suorum de verbo ad verbum specialis & expressa mentio, & quod in suis privatis regularibus institutis (quorum observationem se expressè novisse asserunt) sit cautum, ut suo generali Ministro firmiter obediant, quod illi sic interpretantur, ut, sine illius generalis Ministri consensu, nullius alterius Jurisdictioni, inoffensâ Regulâ Sancti Francisci, parere aut quovis modò obtemperare possint. Nos igitur, cupientes, ut Tu, qui opere potens es & sermo, & ut accepimus, pro tuo erga Religionem & Cultum divinum, jugi Studio ad Reformationem Religiosorum locorum, infra limites tuæ Legationis consistentium, accuratissimè direxisti animum, cujusque eximia Virtus, Probitas & Fides à nobis comprobata multo majora pollicentur, ut feliciter ceptum munus hujusmodi ad optatum finem deducere, ac ut in dicto Regno vitia extirpare, ac virtutes plantare, ac horrendæ Lutheranae Pesti, & multis aliis in Ecclesia Dei indies serpentibus malis liberius occurrere possis, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione ac certa Scientiâ, & de Apostolicâ potestatis plenitudine, nostras & Prædecessorum nostrorum litteras, etiam ad hoc, ut Circumspectio tua per te vel alium, seu alios omnia & singula Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia loca, tam exempta, quàm non exempta quorumcumque, etiam Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensium, Præmonstratensium, Grandimontensium, Cartusienensium, ac prædicti & aliorum Mendicantium, etiam Prædicatorum, Carmelitarum Regularis observantiae, Sancti Francisci Ordinum, & Congregationum fuerint, & quocumque nomine censeantur, ac Prærogativis, & Privilegiis Apostolicis muniti sint, tam in Capite, quàm in Membris visitare, reformare, corrigere, ac delinquentes punire, castigare, & eorum sic expostentibus demeritis, etiam carceribus mancipare, ac Monasteriis, Domibus & Locis, nec non Dignitatibus, Officiis & Beneficiis Ecclesiasticis privare, & illos ab eis amovere, & alia in præmissis & circa ea necessaria, seu quomodolibet oportuna mandare, facere & exequi, ac ut prædictis & aliis Appellationibus & Provocationibus, quæ à quibuscumque Ordinum & Locorum prædictorum Visitacionibus per te factis &

faciendis forsitan sunt interpositæ, aut in futurum interponentur, deferre minime tenearis, sed Appellationibus & Provocationibus eisdem, tam interpositis, quam à quibuscunque Judicibus, quibus commissæ reperiuntur, ad nos harum serie advocantes, & tibi in eisdem statu & terminis, quibus nunc reperiuntur, etiam si in eis ad aliquos actus sit processum, audiendas committimus, quam interponendis, rejectis, ad visitationum hujusmodi terminationem & executionem procedere, liberè & licitè valeas, ipsæque visitationes & illarum terminatio & executio per Appellationes & Provocationes hujusmodi, ante aut interim interpositas, non suspendantur, sed suum plenum effectum fortiri debeant in omnibus & per omnia, perinde ac si ab illis appellatum non fuisset, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium extendimus & ampliamus. Et pro potiori cautela, ad omnem tollendum scrupulum, tibi super his de novo facultatem concedimus, motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, declarantes, attestantes & decernentes, intentionis nostræ in futurum fore, per quasunque Litteras, Rescripta, Privilegia aut Indulta, per nos quibuscunque Personis Ordinum & Congregationum prædictorum, ac aliis, cujuscunque Dignitatis, Status, Gradus, Ordinis & Conditionis existant, etiam cum quibusvis Inhibitionibus, etiam sub Censuris Ecclesiasticis, ac Clausulis & Decretis, etiam irritantibus, ac alias sub quibuscunque tenoribus & verborum formis concessa, hæcenus & impostum concedenda, præsentis, ac prædictis & aliis quibuscunque facultatibus tibi per nos ac Sedem prædictam concessis & concedendis, etiam super Sæcularium & quorumvis Ordinum Regularium Ecclesiarum, Monasteriorum & Locorum prædictorum Visitacionibus & Reformationibus, in partibus illis faciendis, & processibus desuper habendis, quominus illis liberè & licitè juxta tuarum facultatum continentiam uti, & ea profèqui valeas, minime derogare, sed illa sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, modificationibus, restrictionibus, reductionibus & derogationibus, per nos & Sedem prædictam, etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, & cum quibusvis efficacissimis & insolitis, etiam derogatoriorum derogatoriis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam per Cancellariæ Apostolicæ Regulas, & quasvis alias Constitutiones Apostolicas, per nos aut alios Romanos Pontifices, etiam Consistorialiter, ac etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, aut alias factis & faciendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restitutas existere & ceteri: Promissiones quoque, vota & juramenta quæcunque contra effectum præsentium per dictorum Ordinum Religiosos in manibus quorumcunque suorum Superiorum, aut alias præstita & præstanda, invalida esse, & eos ipsos ad eorum observationem minime teneri, sicque in præmissis omnibus per quoscunque Judices & Commissarios, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales interpretari, judicari & definiiri debere, sublatâ eis & cuilibet eorum aliter interpretandi, judicandi & definiendi potestate, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et insuper universis & singulis Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum & Locorum, ac Ordinum & Congregationum prædictorum Prælatibus, etiam Generalibus, & aliis personis, sub Excommunicationis Sententia, eo ipso quo contrafecerint incurrendâ, inhibemus, ne Tibi ac Facultatibus tuis hujusmodi, directè vel indirectè, quovis quæsito colore, contradicere vel venire præsumant, quia imò illis humiliter intendant & obediant; Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, necnon bonæ memoriæ Ottonis & Ortoboni, olim in dicto Regno præfatæ Sedis Legatorum, Constitutionibus & Or-

dinationibus, aut Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, Ordinum & Congregationum prædictorum Constitutionibus, Ordinationibus, Regulis, Statutis & Consuetudinibus, promissione quoque & Obedientiæ votis, per dictos Religiosos Ordinum suorum Prioribus, Abbatibus, Magistris, Ministris, & aliis Prælatibus & Superioribus, etiam Generalibus factis & emissis, & quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque & indultis, ac litteris tam Apostolicis, quam in forma Brevis Ecclesiæ, Monasterii, Domibus, Ordinibus & Locis, Prioribus, Magistris, Ministris, & aliis Prælatibus & Superioribus, etiam Generalibus prædictis, seu eorum alicui sub quibuscunque tenoribus & formis: etiam per modum Statuti, & perpetuæ Ordinationis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, per eundem Leonem, & quoscunque alios Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, & Sedem prædictam, ac etiam per nos iteratis vicibus concessis, approbatis & innovatis, etiam si in illis caveatur expresse, quod eis per quasunque Litteras Apostolicas, nisi in litteris, quæ eis derogare viderentur, illorum omnium tenores de verbo ad verbum inferantur, & expresse appareat, Romanum Pontificem illis voluisse derogare, ac causa urgens & sufficiens exprimat, & alias certis modis & formis observatis, aut nullatenus derogari possit, quibus omnibus & singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, & forma in illis tradita observata foret, præsentibus pro expressis ac verè, & non fictè insertis, contra quæ nullam probationem admitti volumus, habentes, illis alias in suo robore permanens, eisdem motu, scientia & Apostolicæ Potestatis plenitudine specialiter & expresse derogamus, necnon omnibus illis, quæ præfati Prædecessores nostri in suis, ac Nos in nostris litteris prædictis volumus non obflare, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto, duodecimo Calendis Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Jo. Matthæus Gibertus.

A. de Casillo.

Super Plicam

Clemens Papa Septimus.

Sub Plumbo Sigillo pendente à filiis canabæis.

Bulla ad Cardinalem Eboracensem, quæ ei facultatem dat supprimendi Monasteria, quæ trium milium Ducatorum annuum redditum non excedunt: anno 1524.

### CLEMENS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, tituli S. Cecilie Presbytero Cardinali in Regno Angliæ, nostro, & Apostolice Sedis Legato, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**D**Udum considerantes saluberrimos fructus & Christi fidelibus pernecessarios ex litterarum studiis provenire, & quod Universitas studii generalis Oxoniensis ob penuriam reddituum propemodum extinctum iri videbatur, ac cupientes, ut studium ipsum decenter continuari, & incrementum suscipere possit, motu proprio & ex certa scientia Circumspectioni tuæ in Monasterio, per Priorem gubernari solito, Sanctæ Fridisvidæ Ordinis Sancti Augustini, Lincolnensis Diocesis, quod in ipsius Universitatis medirullio existit, si ad hoc charissimi in Christo Filii nostri Henrici Angliæ Regis illustris accederet assensus, nomen Monasterii & Dignitatem Prioratus, necnon Ordinem hujusmodi & dependentiam Auctoritate nostra penitus supprimendi, &

Canon-

V.  
Ex Arch.  
Ang. Ri-  
mer. Tom.  
14. p. 23.

Canonicorum inibi degentium Personas ad alia loca ejusdem Ordinis transferendi, necnon suppressis Monasterii nomine, Dignitate, Ordine & Dependencia hujusmodi nomen Collegii Clericorum Sæcularium imponendi, & Collegium hujusmodi instituendi, ac illi omnes & singulos ipsius sic tunc suppressi Monasterii fructus, redditus, proventus, ad effectum, ut personæ idoneæ, pro ratione facultatum dicti loci, in eodem loco instituendæ, partim publicis Lectionibus astrictæ Liberales Artes ad commodum Studentium profiterentur & aliis interpretarentur, partim Ecclesiæ dicti loci intendentes Divinis infervirent, perpetuò applicandi & appropriandi, & alia circa ea necessaria faciendi, plenam Auctoritate Apostolica concessimus facultatem, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, fructus, redditus, proventus & bona prædicta pro competenti restauratione & manutentione dictæ Universitatis, ac Sufsentatione Doctorum, Eruditioni Scholarium infudantium, non sufficiant, nec absque ingenti murmure & indignatione incolarum dicti Regni, possessiones & prædia emi, & isti Collegio applicari possint, sintque in partibus illis nonnulla tam virorum quam mulierum Monasteria, in quibus vix quinque aut forte sex personæ regularem vitam professæ moram trahunt, ita ut ob raritatem Religiosarum Personarum inibi degentium Divino Cultui decenter, ut par est, in illis vacari non potest; Nos cupientes statui dictæ Universitatis, & Divino Cultui in dictis Monasteriis salubriter providere, Circumspectioni tuæ, de qua pro sui ingenii dignitate & morum integritate plenam in Domino fiduciam obtinemus, motu simili, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, in aliis, uno, duobus vel pluribus, & totam virorum quam mulierum Sancti Benedicti, vel Sancti Augustini, & cujusvis alterius, etiam Cluniacensium, Cisterciensium, Grandimontensium, vel Præmonstratensium Ordinis Monasteriis, quorum insimul fructus, redditus & Proventus ultra valorem annuum dicti Monasterii Sanctæ Fridisvidæ, trium millium Ducatorum auri de Camera secundum communem estimationem valorem annuum non excedant, si ad hoc præfati Henrici Regis, Fidei Defensoris, & si extant, Fundatorum ipsorum Monasteriorum, seu eorum Successorum accesserit Assensus, nominibus Monasteriorum & Dignitatibus Abbatialibus & Abbatifalibus, seu aliarum Dignitatum superiorum, necnon Officiis Conventualibus, & Dependentiis & Ordinibus Apostolicæ Auctoritate penitus suppressis & extinctis, ac Canonicorum & Monachorum, necnon Monialium & aliorum inibi degentium, Personis, ad alia Monasteria, sive loca regularia ejusdem seu alterius Ordinis, prout tibi magis expedire videbitur, translatis, omnes & singulos ipsorum tunc sic suppressorum Monasteriorum fructus, redditus, proventus & bona, quæ omnia pro expressis haberi volumus, ad effectus præmissos perpetuò applicandi & appropriandi, alia quoque augmento, utilitati & conservationi dictæ Universitatis in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, statuendi & exequendi, plenam & liberam, tenore præsentium, licentiam concedimus & facultatem, ipsasque litteras ad hoc extendimus & ampliamus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac Ortonis & Ottoboni, olim in Regno Angliæ Apostolicæ Sedis Legatorum, nec non in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, necnon Monasteriorum & Ordinum hujusmodi juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, ac litteris Apostolicis, & in forma Brevis Monasteriis & Ordinibus hujusmodi, sub quibuscunque tenoribus

& formis, etiam per modum Statuti & Ordinationis perpetuorum, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, fortioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, etiam motu simili, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, etiam per Nos & Sedem eandem, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis & innovatis, etiam si in illis caveatur expressè, quod illis etiam per quascunque Litteras Apostolicas nullatenus derogari possit, nisi in litteris, quæ eis derogare viderentur, illorum omnium tenores de verbo ad verbum inferantur, & expressè appareat, Romanum Pontificem illis noluisse derogare, ac causa urgens & sufficiens exprimat, & alias certis modis & formis observatis, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum infert, & forma in illis tradita observata foret, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè, motu, scientia & potestate similibus derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto, tertio Id. Septembris, Pontificatus nostri anno primo &c.

Jo. Matthæus Gibertus.

Super plicam

A. de Castillo.

Sigillo avulso.

Bulla Clementis Septimi pro Rege, ut Protector  
Fœderis Italici nominetur: anno 1526.

## CLEMENS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

Cum nuper Liga, Confederatio atque Sanctissimum Fœdus, non solum pro nostris & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Statibus, Dominis & Territoriis conservandis & defendendis, sed etiam pace universali Reipublicæ Christianæ, bellicis hæcenus tumultibus nimium agitata, plusquam necessaria propaganda, inter nos & charissimum in Christo Filium nostrum, Franciscum Francorum Regem Christianissimum, ac dilectos Filios Nobiles Viros, Andream Crichti Venetorum, & Franciscum Sfortia, Mediolani Duces, ac ipsorum Venetorum Dominum intum, conclusum & processum sit. In quo charissimus etiam in Christo Filius noster Henricus Angliæ Rex, & Dominus Hiberniæ, Fidei Defensor, tum quia Orthodoxæ Fidei, Religionisque incrementum unice spectans, pacis inter Principes conciliandæ Auctor, semperque Suafor & verbo & exemplo præ cæteris extitit, tum quia, ut tranquillis temporibus Prudentiâ, Consilio & Auctoritate in cohibendis & refræmandis improbis hominum affectibus plurimum potest, ita bellico furore percitos, & per vim ac violentiam omnia molientes, nominis sui splendore Martisque opibus, quibus maximè abundat, reprimere & domare ante cæteros valeat, Protector & Conservator nominatus est, in eodemque fœdere verendum, hæud dubiè existimemus, ne temporis angustia ad celeriore conclusionem urgens & impellens maturam & diligentem articulorum ejusdem deliberationem præverterit & impederit, adeo quidem, ut præfato Henrico Regi, vel de indemnitate sua, vel de pensione antiua tantæ, si hoc Onus Protectionis subierit, gratitudini jure optimo debita, aliis denique multis in rebus hæud satis diligenter cautum, undequaque & prospectum videatur, sintque etiam dicti fœderis nonnulli articuli, quos ad sinceram & inviolabilem ejus observationem partim maturè exequi, partim abrogare, aliquos ampliare & explicare, tum nostra tum omnium contrahentium interfit. Nos itaque, vehementer affectantes fœdus

prædictum,

VI.  
Ex Arch.  
Angliæ Ri-  
mer. Tom.  
14. p. 187.

prædictum, non minus salutare, quam his etiam temporibus necessarium, suum optatum & desideratum consequi effectum, animadvertentes etiam, quanta cum majori felicitate omnia succederent, si prædictus Henricus Rex munus Protectionis in se suscipere & obire, dictumque fœdus ingredi vellet, à quo illud avertere & deterrere posset, si non omnia, quæcunque in dicto fœdere comprehenduntur & conveniuntur, plana, aperta, dilucida, æqua etiam omnibus & convenientia esse, ac ipsius Henrici Regis iudicium deprehenderit, De fidelitate, Circumspectione & Prudentia dilectorum Filiorum Uberti de Gambaria Brixienfis, & Johannis Baptistæ Sanga Romani Clericorum, nostrorumque & huius Sanctæ Sedis Notariorum & Nunciorum plurimum confidentes, ipsos & quemlibet ipsorum in solidum, veros, certos & indubitatos Oratores, Legatos, Commissarios, Procuratores & Deputatos constituimus, facimus & ordinamus per præsentem. Dantes & concedentes eis, & eorum cuilibet in solidum plenam Potestatem, Auctoritatem & Facultatem, ac Mandatum generale & speciale, pro nobis & nomine nostro, cum præfato Henrico Rege, ipsiusque & Francisci Regis, ac Ducum & Dominiorum prædictorum, aut alterius cuiuscunque Principis, dictum Fœdus sive Ligam ingredi volentis Oratoribus, Procuratoribus, Commissariis & Deputatis, sufficientem ad id Auctoritatem habentibus, simul & conjunctim, cum omnibus illorumve duobus, tribus, aut uno, seorsum & separatim, seu etiam cum ipso Rege Francisco, de & super Reformatione, Immutatione, Annotatione, Additione, Diminutione, Restrictione, Extensione, Moderatione, Qualificatione, Interpretatione, Ambiguitatunque Dissolutione & Explanatione omnium & singulorum Articulorum in dicto fœdere contentorum, necnon & desuper portione annua prædicto Henrico Regi, casu quo Onus Protectionis huiusmodi acceptaverit, vel alii cuiuscunque annuatim præstanda & persolvenda, deque summa sive summis, cautionibus & provisionibus, sub quacunque firmitate, pro securitate ejusdem pensionis, sive earundem pensionum limitandis & interponendis, ac etiam de indemnitate ejusdem Henrici Regis fœdus prædictum ingredientis præstanda, modo & formâ provisionis pro eadem validè & efficaciter concipiendâ, tractandum, communicandum, paciscendum, conveniendum, concordandum & concludendum, dicti quoque fœderis Articulos omnes & singulos, aut eorum aliquos vel aliquem, delendum, cancellandum & abrogandum. Proque & in locum eorumdem alios plures aut pauciores, sub quibuscunque verborum tenoribus conceptos, reponendum & substituendum. Ita tamen, ut quacunque immutatione non obstante, fœdus prædictum non dissolvi interim, sed in suo robore & effectu manere, durare & subsistere intelligatur, idemque fœdus fuisse & esse habeatur, & reputetur perinde, ac si nulla talis immutatio, interpretatio, additio aut diminutio intervenisset. Necnon dissoluto & abrogato fœdere prædicto, aut eodem, si ita videbitur, & nihilominus, ut præfertur, in suis viribus subsistente, cum Francisco & Henrico Regibus, ac Ducibus & Dominio prædictis, necnon aliis quibuscunque Regibus & Principibus Christianis, Civitatibus, Communitatibus & Nationibus, ac Dominis Cismontanis & Ultramontanis, seu eorum Procuratoribus, Oratoribus & Legatis quibuscunque, sufficientem auctoritatem habentibus, de quacunque nova Confœderatione, Unione, Fœdere, Liga, perpetua aut temporali, ac aliâ quocunque modo, inter nos & illos, ac eorum quemlibet tractandum, communicandum, paciscendum, conveniendum & concludendum. Et insuper ad conventorum & conclusorum inviolabilem observantiam Nos, Patrias, Territoria, Dominia & Subditos Nostros sub quibuscunque Pactis & Conventibus astringendum & obligandum, ac sub verbo

veri Romani Pontificis, quod Conventa & Promissa fideliter perimplebimus, perimplerique & observari curabimus & faciemus, juramentum subeundi & præstandi. Simileque juramentum à prædictis Regibus & Principibus eorumve Oratoribus, ac aliis Contrahentibus quibuscunque petendum. Ac super Conventis, Concordatis & Conclufis, Litteras validas & efficaces pro parte nostra tradendum: aliasque consimilis vigoris & effectus petendum & exigendum. Denique generaliter omnia alia & singula faciendum, gerendum, exercendum, & expediendum, quæ in præmissis aliquove præmissorum, aut circa ea necessaria videbuntur, aut quomodolibet oportuna, etiam si talia sint, quæ Mandatum exigant magis speciale, quam præsentibus sit expressum. Promittentes bona fide, & in simili Verbo Pontificio, Nos ratum, gratum & firmum habituros id totum, & quidquid per supra prædictos Nostros Oratores, Legatos, Commissarios & Deputatos, ac eorum quemlibet, actum, gestum aut factum fuerit in præmissis, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo sexto, decimo octavo Calendæ Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

In. Jo. Matthæus, Episcopus  
Veronensis.

Super plicam.

F. Vigorosi.

Sub Plumbo Sigillo pendente  
à filis fericis flavi rubicque  
coloris.

Bulla Commissionis ad cognoscendum in Cauſa Matrimoniali inter Regem Henricum Angliæ, & Catharinam Reginam: anno 1528.

VII.  
Ex Arch.  
Angl. Ri-  
mer. Tom.  
14. p. 237.

### CLEMENS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, Tituli Sanctæ Cecilie Presbytero Cardinali Eboracensi nuncupato, in Regno Angliæ, nostro, & Apostolicæ Sedis Legato, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**S**ANÈ ad aures nostras, & plurimorum Fide dignorum Relatione, frequenter perlatum est de validitate illius Matrimonii, quod charissimus in Christo Filius noster Henricus Angliæ Rex illustris, Fidei Defensor, & Dominus Hiberniæ, cum charissima in Christo Filia nostra Catharina Regina, Sedis Apostolicæ Dispensatione prætenſa, contraxisse & consummasse dignoscitur, subortam nuper in partibus illis questionem, quæ licet in publicum Ecclesiæ iudicium deducta hætenus non fuerit, causæ tamen tam magni, gravisque momenti exitus videlicet, quem iustitia & æquitas dederit, animos istic omnium sic habet suspensos, ut celerem ac maturam definitionem requirat, non sine maximo discrimine protelandam. Cum itaque nos, quos ad Iustitiam in iudicio & veritate omnibus ex æquo subministrandum Servum servorum Deus constituit. Facti veritatem per nos ipsos inquirere, ac causam hanc examinare non valeamus. Considerantes præterea, quod factum, ex quo jus oritur, illic certius quam hic, tum etiam citius expeditiusque cognosci poterit. Cupientesque præsertim in Regno illo, Sedi Apostolicæ semper devotissimo, omnem dysfunctionem materiam extingui, & dulcissimum illum Pacis amorisque interlinum concentum, felicissimamque charitatis harmoniam, multos jam annos constantem, retineri, ac impoſterum conservari, dictamque proinde super præfato Matrimonio causam in iudicio iustitia & veritate decidi, certumque, firmum, validum & maturum, quod maxime expedit, finem fortiri. Circumspectioni

tuæ, adjuncto Tibi Venerabili Fratre nostro Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primæ, & Apostolica Sedis Legato nato, seu alio quocunque illius Regni Episcopo, ad audiendum omnia & singula ea, quæ dicti Matrimonii vires dispensationisve Apostolicæ quascunque, coram vobis producendæ aut exhibendæ, validitatem aut invaliditatem contingat. Deque & super omnibus illis ac aliis quibuscunque materiis, allegationibus, & causis, dictum matrimonium aut dispensationem concernentibus, seu tangentibus, cognoscendum: nec non in causa dicti Matrimonii, & validitatis dispensationis, vocatis partibus, summarie & de plano, sine strepitu & figura Judicii, procedendum. Dispensationes quascunque Apostolicas, prout illas validas, efficaces & sufficientes, invalidasve, inefficaces, minus sufficientes, surreptitias, aut obreptitias, aut aliquo quocunque modo enervatas inveneris, tales illas esse & haberi debere pronuntiandum & declarandum. Dictumque Matrimonium similiter, si ab alterutra parte petatur, prout animo conscientieque tuæ Juris ratio persuaserit, validum, justum & legitimum ac firmum esse, aut e contra invalidum, injustum, & illegitimum, nullumque fuisse & esse, pro valido, justo, legitimo & firmo, aut e contra invalido, injusto, & illegitimo nulloque haberi debere, definiendum, sententiandum & decernendum. Ac in eventum improbatæ dispensationis & declarationis dignitatis Matrimonii, summarie & de plano, sine strepitu & figura Judicii, ut præfertur, sententiam divortii judicialiter proferendum. Denique tam Henrico Regi, quam Catharinæ Reginae præfatis ad alia vota commigrandi licentiam in Domino, & Facultatem tribuendum, tibi, citra omnem personæ aut jurisdictionis gradum, omni recufatione & Appellatione remotis, vices & omnem auctoritatem nostram committimus & demandamus, teque ad ea omnia, quæ in hac Commissionem continentur, duntaxat exequenda, expedienda, ac plenæ finalique Executioni demandanda Vicegerentem nostrum, etiam ex certa nostra scientiâ, Creamus & Deputamus, ita ut in præmissis, quod nos Auctoritate & Potestate nostra facere possemus, id etiam Tu facere possis. Tibi quoque tam prolem, ex primo Matrimonio susceptam, si id ita expedire visum fuerit, quam ex secundo Matrimonio suscipiendam legitimam decernendi, pronuntiandi & promulgandi, legitimitatem etiam utriusque Proles, Censuris & Poenis Ecclesiasticis quibuscunque, per modum Decreti aut Sanctionis perpetuæ, muniendi & vallandi, omnibus validioribus, & efficacioribus modis & formis, quæ de Jure concipi & excogitari poterint, ex certa nostra scientiâ, Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium potestatem pariter & auctoritatem concedimus; Non obstantibus Conciliis Generalibus, Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus editis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum in Urbe Veteri, Anno Incarnationis Dominicæ, Millefimo Quingentesimo, vigesimo octavo, Idibus Aprilis, Pontificatus nostri, anno quinto.

B. Motta,  
Sub Plumbeo Sigillo pendente  
à filo cannabeo.

Abfolvit Francorum Regem à Juramento de non alienandis bonis, & juribus regni: anno 1529.

CLEMENS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo Filio nostro Francisco, Francorum Regi Christianissimo, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Votis tuis, illis præsertim per quæ paci & quieti Christianæ Reipublicæ consulitur, li-

benter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Sanè pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet alias Majestas tua juraverit, Res ac Bona ac Jura à Corona Regni Franciæ nunquam alienare, dismembrare aut separare, & ad id vinculo Juramenti de adstrinxisti. Quia tamen in Civitate Cameracensi die videlicet quinta Mensis Augusti præsentis Anni, inter Majestatem tuam & Carissimum in Christo Filium nostrum, Carolum Romanorum, & Hispaniarum Regem Catholicum in Imperatorem Electum, Sororium tuum Carissimum, perpetuum Fœdus formatum percussumque fuit, in eoque nonnullæ hinc inde alienationes, sine quibus Respublica Christiana tranquilla esse non poterat, factæ fuerunt. Visum fuit eidem Majestati tuæ pro publica Salute, Pace, ac quiete, ac tranquillitate hujusmodi expedire, per te præstito Juramento hujusmodi contravenire, volensque tuæ Conscientiæ, ac Christianæ Reipublicæ hujusmodi Saluti providere, Venerabilem Fratrem nostrum, Philibertum Episcopum Eporediensem Eleemosinarium, & dilectum Filium Nicolaum Raince, Secretarium tuos, & eorum quemlibet in solidum, absentes Procuratores tuos, tanquam præsentem, specialiter ad petendum à nobis absolutionem & relaxationem quorumcumque Juramentorum, de non alienandis nec dismembrandis aut separandis quibuscunque Rebus ac Juribus à Corona Regni Franciæ, hujusmodi per te eatenus præstitorum, nec non super hujusmodi Absolutione & Juramenti relaxatione litteras necessarias, etiam petendum, impetrandum & expediendum. Quare idem Philibertus Episcopus, ejusdem Majestatis tuæ Procuratorio Nomine, factâ prius nobis Fide de sufficienti Mandato, nobis humiliter supplicavit, ut Majestatem tuam à Juramenti violatione absolvere, ipsamque Juramentum ac defectum validitatis alienationis Bonorum & Jurium à Corona Regni Franciæ factæ hujusmodi relaxare, aliasque in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolicâ dignaremur; Nos igitur attendentes, ex hujusmodi alienatione totius Reipublicæ Christianæ Paci consuli, hujusmodi Supplicationibus inclinati, Majestatem tuam à Juramenti violatione, Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, absolvimus, ac Juramentum seu Juramenta, aliâ per te de non alienandis Bonis vel Juribus Coronæ Regni Franciæ hujusmodi præstitum, ad effectum prædictum, ex certa scientiâ nostra ac potestatis plenitudine, relaxamus, ac alienationem bonorum & Jurium Coronæ Regni Franciæ factam hujusmodi valuisse ac valere, ac inviolabiliter observari debere decernimus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus dicti Regni, & illius Parliamentorum Confirmatione, Apostolicâ vel quavis firmitate alia roboratis, nec non Privilegiis & Indultis ac litteris Apostolicis dicto Regno forsân concessis, quibus illorum tenores pro expressis habentes, illis aliâ in suo robore mansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Absolutionis, Relaxationis, Decreti & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1529. III. Calendas Decembris, Pontificatus nostri, anno septimo.

Signat. subter Plicam,  
sub Plumbeo,

B. Motta.

Dors. Registr. in Cancellaria Apostolica.  
De Cesis.

IX.  
Ex Cod.  
Diplom.  
Leibnizii  
Tom. 2.  
Mant.  
pag. 224

Confirmatio sub Sigillo Aureo, data Carolo V. in Romanorum Imperatorem Electo, ejusque Successoribus Ducibus Brabantiae, & Comitibus Hollandiae &c. Super translatione Civitatis oppidorum, & Ditionis Trajectensis, & Transsylvanæ, totiusque Temporalitatis Episcopatus Trajectensis, in suam Majestatem factæ, per Episcopum Henricum, Comitem Pal. Rhen. reservatâ tantum Jurisdictione Ecclesiasticâ, & Domo Episcopali in Civitate Trajectensi, ac certa pensione annua. Et quod nullus imposterum à quinque Ecclesiis Trajectensibus debeat eligi Episcopus, quam quem nominaverit sua Majestas &c. anno 1529.

## CLEMENS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**R**omanus Pontifex, ad quem, sicut omnium rerum Spiritualium cura pertinet, ita bona quoque temporalia, ad quasunque Ecclesias spectantia ipsius sunt dispositionis; pro Pastoralis Officio sibi demandato ea assidue agit & meditatur, per quæ Ecclesiæ ipsæ tam Cathedralis, quam Collegiata & illarum Episcopi & Prælati, quietè, tranquillè ac pacificè vivere possint. Et si quando contingit Episcopos & Prælatos ipsos, à suis Sedibus & Ecclesiis, violenter ejici & extrudi, & propterea ad Secularium Principum opem implorandam confugere, ipsorumque sumptibus, viribus & copiis in pristinas Sedes rursus reponi & restitui, ac per eos, in tantorum beneficiorum remunerationem, bona ipsa temporalia, & secularium eorum Jurisdictionem, eisdem principibus Liberatoribus concedi & in eos transferri; Pontifex ipse tales concessiones & translationes Auctoritate Apostolicâ approbare & confirmare, ac de novo concedere consuevit, ut eo scilicet pacto, & ipsarum Ecclesiarum incolumitati consulatur, & earum Episcopi & Prælati in quiete, tranquillitate & securitate constituantur, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sanè licet à longis retroactis temporibus ad omnes Episcopos Trajectenses, qui pro tempore fuerunt, Dominium tam Spirituale quam Seculare Ecclesiæ Trajectensis, ac plurimorum Oppidorum, Locorum & Castrorum, tam in agro Trajectensi, quam in partibus superioribus patriæ Transsylvanæ consistentium, plenissimo jure pertinuerit: Nihilominus dilectus Filius Nobilis Vir Carolus, Dux Geldriæ, præter jus & fas, primò bonæ memoriæ Fredericum, Marchionem Badensem, olim Episcopum Trajectensem, quoddam ex ipsis oppidis manu armata ac militari spoliavit, illudque violenter occupavit; ad quod rursus vendicandum, idem Fredericus Episcopus ingentes expensas, innumerosque labores subire coactus fuit. Et deinde idem Carolus Dux, similis memoriæ Philippum de Burgundia, etiam Episcopum Trajectensem, pluribus ex eisdem castris & oppidis vi & armis spoliavit, sibi que injustè usurpavit. Pro quibus recuperandis, licet magni sumptus à præfatis Episcopis facti, pecuniæque ingentes erogatae fuerint, tamen ea loca sic occupata, in manibus & potestate ipsius Ducis Caroli permanserunt, usque ad tempus, quo dilectus Filius Henricus, Comes Palatinus, & Dux Bavariæ in Episcopum Trajectensem electus, & electio hujusmodi Apostolicâ Auctoritate & formâ Canonica confirmata extitit. Qui equidem Henricus electus animadvertens, quot damna & incommoda Prædecessores sui Episcopi Trajectenses subierant, ut ea quoque pacto refarciret, ac paci, quieti, securitatisque suæ ac subditorum suorum consulere, & talem concordiam operâ & interventu venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Trevirensis, cum eodem Carolo Duce inierat, ut ipse Henricus electus eorum

raret, & quorundam castrorum occupatorum usum fructum ad ejus vitam dimitteret: quæ quidem castra eo defuncto rursus ad Ecclesiam redirent, sed ea lege, ut si proles legitima ex eo superesset, illi proli duntaxat quinquaginta millia florenorum perfolverentur: Cætera verò castra sic occupata, ex tunc eidem Henrico electo restitui deberent, prout mox etiam restituta fuerunt. Et quamvis dictus Henricus electus, eâ concordia sic stabilitâ omnino speraret, se deinceps summa in pace & tranquillitate, unâ cum subditis suis, permanfurum, nihilominus ipse Carolus Dux, oblata occasione, quod idem Henricus electus interim populari seditioni fuerat repulsus, immemor fœderis & concordia, hujusmodi castra & oppida patriæ Transsylvanæ invadere, eaque obsidione premere veritus non fuit, & cum castrorum & oppidorum prædictorum Consules & Præfecti, ad opem & auxilium implorandum, ad denominatum Henricum electum confugissent, & ille, utpote sua civitate ejectus, opibusque exutus, minimè optulari potuisset, quod reliquum fuit eis per litteras suas, ut à Capitaneo Charissimi in Christo Filii Nostri, Caroli Romanorum & Hispaniarum Regis Catholici, in Imperatorem Electi, qui Frisicæ præerat, auxilium exposcerent, concessisset, & ut ipsum Carolum Regem, qui etiam Dux Brabantia, & Comes Flandriæ, & Hollandiæ existit, in Dominum recognoscerent, licentiam dedisset; abolvendo eos ab hominibus sibi præstito, ac juramentum fidelitatis eis relaxando; ac dicti Consules, & ad hoc Deputati litterarum earumdem vigore post quædam Capitula, cum ipsius Caroli Regis Ministris confecta, inter cætera continentia, ut dictus Carolus Rex quamprimum exercitum instruere, & bellum ipsi Carolo Duci inferre deberet; se ipsi Carolo Regi dederunt, ac hominibus & Juramentum fidelitatis ejus tunc Procuratori præstiterunt. Et cum interim populus Trajectensis de Electo restituyendo, & si eis venia daretur, rursus in Civitatem revocando pertractassent; Dux ipse dolo & fraude quorundam seditiosorum allectus Civitatem Trajectensem clandestinè occupavit, eamque hostiliter diripuit, & ut scelus sceleris adjungeret, Ecclesias prophanate, illarumque bona invadere & diripere, ac auferre veritus non fuit: quominus quæ ad divinum cultum erant destinata, sacrilego conatu ademisset & usurpavit; propter quæ ipse Henricus electus, & undique molestus, & ærumnis circumventus, ad dilectum in Christo Filium Nobilem Mulierem, Margaretam Archiducissam Austria, pro dicto Carolo Rege in partibus Flandriæ gubernatorem, nec non ipsius Caroli, Regis in Ducatu Brabantia, & Comitatu Hollandiæ Procuratorem confugere, & adversus tam atrocem injuriam & horrida facinora necessariam opem implorare coactus fuit; & cum dictam Margaretam ad id promptissimam invenisset, & mox certus dicti Caroli Regis Capitaneus, valido exercitu magnis quidem sumptibus coadunato, & sub Signis constituto, in Ducatum dicti Caroli Ducis impetum fecisset, ac oppida sub ipso Duce violenter occupata recuperasset, & ipsum Henricum electum in sua Civitate, è qua ejectus fuerat, restituisset, præfatus Henricus electus, tot calamitatibus, ope ipsius Caroli Regis, tandem liberatus, animadvertens se & Civitatem ipsam ac tot castra, oppida & municipia ad suam Ecclesiam Trajectensem spectantia, non sine magna impensa, sibi que intolerabili, diutius retinere, nec de expensis pro exercitu in ejus defensionem & subsidium comparato factis, præfato Carolo Regi satisfacere posse; ac cupiens dicto Carolo Regi, ob tot in se collata beneficia gratiam aliquam referre, & denominatorum suorum subditorum quieti & tranquillitati ac securitati consulere, eosque ab imminentibus periculis & futuris incommodis præservare; ex præmissis & aliis non minoris momenti causis Civitatem ipsam atque oppida, castra, municipia, &

loca,

loca partis inferioris Trajectensis, ad ipsum Henricum Electum, suosque Successores Episcopos Trajectenses, ac Mensam Episcopalem Trajectensem legitime spectantia, cum illorum machinis, tormentis, bombardis, ac omnibus & singulis iuribus & pertinentiis, jurisdictione temporali, nec non Vasallis, Officiariis, subditis & incolis suis, in ipsum Carolum Regem transtulit & transfudit; ac omnes excusas, census, redditus, emphyteoses, terras, pascuas, decimas, vineas, silvas, iura Patronatus, tam laicalia, quam castralia, nec non omnia Telonia, & Teloniorum iura, Feuda, Vasallagia, Domina, & ut vulgo dicunt, altas, medias, & bassas jurisdictiones, ac demum omnem temporalem & secularem jurisdictionem, aliaque servitia & iura quaecunque, ad eum ratione dictae Ecclesiae Trajectensis in Civitate, oppidis, Castris, fortalitiis, terris, locis, Dominiis & utraque patria, tam Transyvellana, quam Cisyvellana praedictis, quomodolibet spectabant & pertinebant, cum omnibus & singulis eorum pertinentiis & appendentiis, ac Libris feudorum & reddituum, cartis, registris, computis, & aliis scripturis praemissa concernentibus, praefato Carolo Regi, tanquam Brabantiae Duci, & Hollandiae Comiti, pro se & Successoribus, Ducibus Brabantiae, & Comitibus Hollandiae, seu ejus tunc legitimo Procuratori, sub Sedis Apostolicae beneplacito concessit & donavit, ac in eum transtulit. Nec non omnes & singulos Vasallos, Officiales, subditos & incolas praedictos, a juramento fidelitatis, & alia quacunque obligatione, qua sibi ut Domino temporali tenebantur, absolvit, eisque ut a praefato Carolo Rege, ex tunc de caetero auxilium imploraret, illique ac Haereticis & Successoribus suis, tanquam Ducibus Brabantiae, & Comitibus Hollandiae, hommagium & juramentum fidelitatis praestare valeret, liberam licentiam expressè concessit, reservata sibi, & Successoribus suis Episcopis Trajectensibus, sola jurisdictione sua Spiritualis per Civitatem praedictam, & Dioecesim Trajectensem, una cum domo sua Episcopali, in eadem Civitate consistenti, & una alia domo sua extra dictam Civitatem in Dioecesi sua Trajectensi sita, in qua ipse & Successores sui Episcopi Trajectenses, cum sua familia quietis, & otii gratia residere possent; sic tamen quod ipse Carolus Rex Henrico electo, & Successoribus praedictis, nomine annuae pensionis, duorum millium Caroleorum aureorum, pro dote ejusdem Ecclesiae persolveret. Ac praemissa omnia acta & constituta sunt, cum situ & expreso consensu dilectorum Filiorum, Praepositorum, Decanorum, & Capitulum praedictae majoris & Collegiarum Sancti Salvatoris, Sancti Petri, & Sancti Johannis, & Beatæ Mariæ Trajectensium Ecclesiarum; qui habita matura consultatione diligentique examine ea omnia approbarunt, ac rata firmaque & stabilia esse voluerunt; ipsique Praepositi, Decani Capitulaque, qui tempore, quo praefatus Henricus electus Consulibus & Deputatis patriæ Cisyvellanae hujusmodi per suas litteras concesserat, facultatemque tribuerat, ut dictum Carolum Regem in Dominum recognoscere, ac illi hommagium & fidelitatis juramentum praestare possent, a Civitate erant expulsi, nec in loco Capitulari simul convenire & consultare poterant, jam tunc de praemissis omnibus, quae tunc temporis peracta fuerant, plenam notitiam habentes, matura deliberatione, debitisque & consuetis tractatibus praemissis, omnia per Henricum electum, ac Consules & deputatos castrorum patriæ Transyvellanae, vigore litterarum Henrici electi eis concessarum, gestis & factis in omnibus & per omnia approbarunt & ratificaverunt. Et insuper iidem Praepositi, Decani & Capitula planè considerantes, id quod multis experimentis didicerant, propter Electiones Episcoporum in discordia factas, cum alii aliò traherent, & suis quisque factionibus inhaereret, Civitatem, universum-

que populum, atque etiam ipsosmet in tot arumnas & calamitates frequentur incidisse, ne quid tale ex tunc deinceps eveniret, ultro ac sponte, eidem Carolo Regi, tanquam Duci Brabantiae, & Comiti Hollandiae concesserunt, ut quoties contingeret, Ecclesiam Trajectensem carere Pastore, nullus in eorum Episcopum eligendi jus vel potestatem haberet praeterquam ille, quem dictus Carolus Rex Dux Brabantiae, & Comes Hollandiae, significandum, insinuandum, nominandumque duceret; adjicientes etiam, ut nullus in Decanum alicui ex quinque Ecclesiis antedictis praeficeretur, nisi qui ipsi Carolo Regi gratus, & acceptus foret. Et cum tunc Procurator dicti Caroli Regis praemissa omnia approbasset, acceptasset, & rata habuisset; ipsi Praepositi & Decani, tam Procuratorem, quam Henricum electum praefatos ad majorem Ecclesiam comitati sunt, & ibidem Procuratorem in tabernaculo decenter ornato collocarunt, Episcopis, & nonnullis Praepositis, ac Decanis earundem Ecclesiarum in suo quisque stallo ut moris est, constitutis, & deinde Hymno *Te Deum Laudamus* alta voce jucundè & alacriter decantato, ac Missa solemnè à quodam Episcopo celebrata, rursus Henricum electum & Procuratorem praefatos ad Domum Episcopalem comitati sunt, Electoque ibidem relicto, mox dictus Procurator, Praelatis & Nobilibus plerisque comitantibus, ad publicum Urbis palatium se contulit, atque inde ad domum privatam cujusdam civis satis magnificè instructam divertit, pulsataque campana, ad cujus sonitum populus in unum convenire solet, Nobilibus aliisque dictae Civitatis Ordinibus, in conspectu ejusdem Procuratoris aggregatis, praesectà juramenti formula, quod in communi dicto Carolo Regi erant praestituri, populus universus denudato cujusque capite, duobusque digitis dextrae manus sursum erectis, juxta morem, qui in jurejurando inibi observatur, solemne juramentum praestiterunt, ac vicissim dictus Procurator, ipsius Caroli Regis nomine, eos honestè beneque tractare & ab ingruentibus malis & periculis protegere & tueri, atque in omnibus boni clementisque Domini officio fungi promisit, & ad ea observanda jurejurando se obstrinxit. Quae omnia tam Henricus electus, quam Capitula praefata proponi fecerunt in Consistorio nostro coram nobis, penitentes ea, ut stabiliora sint ac plus roboris & firmitatis obtineant, Apostolica Auctoritate approbati & confirmari, ac de novo concedi. Nos igitur habita super his cum venerabilibus Fratribus nostris, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, matura deliberatione & discussione, Electum & singulares personas Capitulum ejusmodi à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes; de eorundem Fratrum Consilio, & ex certa scientia ac de Apostolica potestatis plenitudine, translationem temporalis jurisdictionis Civitatis, castrorum & oppidorum, tam patriæ Transyvellanae superioris, quam partis Trajectensis inferioris, ac aliorum jurium praedictorum in ipsum Carolum Regem, tanquam Ducem Brabantiae, & Comitem Hollandiae, ac illorum donationem, & alia per eundem Henricum electum, de eorundem Capitulum consensu facta, auctoritate Apostolica, tenore praesentium approbamus & confirmamus, praeterquam quoad cessationem pensionis in eventum unionis Mensae Episcopalis Trajectensis, beneficiorum in locum valoris pensionis; Supplentes omnes & singulos, tam juris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac potiori pro cautela Civitatem & castra ac alia jura praedicta eidem Carolo Regi, & Successoribus suis, Ducibus Brabantiae, & Comitibus Hollandiae, in

perpetuum de novo concedimus; ac Electionis per Capitula ipsa in Episcopum Traiectensem, absque ipsius Caroli Regis, & Successorum suorum, Ducum Brabantiae, & Comitum Hollandiae praedictorum nominatione, nec non Electione Decanorum Ecclesiarum huiusmodi, illorum Decanatum occurrente vacatione, de aliis personis, quam Carolo Regi, & eius Successoribus praefatis, gratis, & acceptis, pro tempore factas, nullas, nulliusque roboris vel momenti existere, eadem auctoritate decernimus. Quo circa venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Panormitano & Episcopo Castellariis, ac dilecto Filio Decano Ecclesiae Sancti Luburni Daventriensis, Traiectensis Diocesis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios Carolo Regi & Successoribus suis praedictis, in praemis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras, & in eis contenta huiusmodi firmiter observari; ac singulos, quos litterae ipsae concernunt, illis pacifice frui & gaudere. Non permittentes eos desuper contra praesentium tenorem quomodo libet molestari, inquietari, aut perturbari, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae secundi, Praedecessoris nostri, & quibusvis aliis Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, etiam similes approbationes heri prohibentibus Constitutionibus; nec non majoris & Ecclesiarum aliarum praedictarum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque & indultis Apostolicis, Episcopo Traiectensi, pro tempore existentis & dictarum Ecclesiarum Capitulis, sed quibuscunque tenoribus & formis concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, tenores illorum praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel diviim ab eadem sit Sede indultum, quoddam interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, concessionis, Decreti, Mandati & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, Millesimo Quingentesimo, vigesimo nono, tertio decimo Kalend. Septembris, Pontificatus nostri, anno sexto.

X.  
Ex Op.  
Dipl. Mi-  
raei Tom. I.  
pag. 603.

Abdicationem temporalis Domini Ultraiectini factam ab Henrico Episcopo, & Caroli V. Caesaris acceptationem ratam habet: anno 1531.

CLEMENS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**R**omanus Pontifex, ad quem sicut omnium rerum Spiritualium cura pertinet, ita bona quoque temporalia ad quascumque Ecclesias spectantia, ipsius sunt dispositionis, pro Pastoralis Officii sibi demandato, eo assidue agit, & meditat. per qua Ecclesiae ipsae tam Cathedrales, quam Collegiatae, & illarum Episcopi, & Praelati quiete, ac tranquille, & pacifice vivere possint.

Et si quando contingit, Episcopos, & Praelatos

ipso a suis Sedibus, & Ecclesiis violenter ejici, & extrudi, & propterea ad Secularium Principum opem implorandum confugere, ipsorumque sumptibus, viribus, & copiis in pristinas Sedes rursus reponi, & restitui, ac per eos in tantorum Beneficiorum remunerationem bona ipsa temporalia, & Saecularem eorum jurisdictionem iisdem Principibus liberatoribus concedi, & in eos transferri; Pontifex ipse tales concessiones, & translationes auctoritate Apostolica approbare, & confirmare, ac de novo concedere consuevit; ut eo scilicet pacto, & ipsarum Ecclesiarum incolumitati consulatur, & earum Episcopi, & Praelati in quieta tranquillitate, & securitate constituentur, prout id in Domino conspicit salubriter expedire.

Sanè licet à longis retroactis temporibus, ad omnes Episcopos Traiectenses, qui pro tempore fuerunt, Dominum tam Spirituale, quam Saeculare Ecclesiae Traiectensis, ac plurium oppidorum, locorum, & castrorum, tam in Agro Traiectensi, quam in partibus superioribus Patriae Transylvellanae, consilientium, plenissimo jure pertinuerit.

Nihilominus dilectus Filius nobilis, Vir Carolus, Dux Gelriae, praeter jus & fas, primò bonae memoriae Fredericum Marchionem Badensem, olim Episcopum Traiectensem, quoddam ex ipsis oppidis manu armata, ac militari spoliavit, illudque violenter occupavit; ad quod rursus vindicandum idem Fredericus Episcopus ingentes expensas, innumerosque labores subire coactus fuit.

Et deinde idem Carolus Dux, similis memoriae Philippum de Burgundia, etiam Episcopum Traiectensem, plurimis ex eisdem castris, & oppidis vi, & armis spoliavit, sibique injustè usurpavit: Pro quibus recuperandis, licet magni sumptus praenominatis Episcopis facti, pecuniaeque ingentes erogatae fuerint, tamen ea loca sic occupata in manibus & potestate ipsius Ducis Caroli permanserunt, usque ad tempus, quo dilectus Filius Henricus Comes Palatinus, & Dux Bavariae, in Episcopum Traiectensem electus, & electio huiusmodi Apostolica forsitan auctoritate confirmata extitit.

Qui quidem Henricus Electus animadvertens, quot damna, & incommoda Praedecessores sui Episcopi Traiectenses subierant, ut ea quoque pacto resarciret, ac paci, quieti, securitatique suae, ac subditorum suorum consulere, talem concordiam operari, & intervenire venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Treverensis, cum eodem Carolo Duce iniverat, ut ipse Henricus Electus ei summam quinquaginta millium florenorum enumeraret, & quorundam castrorum occupatorum usufructum ad ejus vitam dimitteret.

Quae quidem castra eo defuncto rursus ad Ecclesiam redirent, sed ea lege, ut si proles legitima ex eo superesset, illi proli dumtaxat quinquaginta millia florenorum persolveretur: Caetera vero castra sic occupata, ex tunc eidem Henrico Electo restitui deberent, prout mox etiam restituta fuerunt.

Et quamvis dictus Henricus, ea concordia sic stabilita, omnino speraret, se deinceps summa in pace & tranquillitate una cum subditis suis permanfurum, nihilominus ipse Carolus Dux, oblata occasione, quod idem Henricus Electus interim populari seditione fuerat repulsus, immemor foederis, & concordiae huiusmodi, castra & oppida, Patriae Transylvellanae invadere, atque obsidione premere veritus non fuerit.

Et cum castrorum, & oppidorum praedictorum Consules, & Praefecti ad opem, & auxilium implorandum, ad dictum Henricum Electum confugissent, & ille, utpote ex sua Civitate ejectus, opibusque exutus, minime opulari potuisset, quod reliquum fuit eis per litteras suas, ut à Capitaneo carissimi in Christo Filii nostri Caroli, Romanorum, & Hispaniarum Regis Catholici, in

Imperatorem electi, qui Frisiae praeerat, auxilium deposcerent, concessisset, & ipsum Carolum Regem, qui etiam Dux Brabantiae, & Comes Flandriae & Hollandiae extitit, in Dominum cognoscerent, licentiam dedisset (absolvendo eos ab hominibus sibi praestito, ac juramentum fidelitatis eis relaxando) ac dicti Consules ad hoc Deputati, litterarum earumdem vigore post quaedam Capitula cum ipsius Caroli Regis Ministris confecta, inter caetera continentia, ut dictus Carolus Rex quamprimum exercitum instruere, ac bellum ipsi Caroli Duci inferre deberet) seipsi Carolo Regi dederant, & hominibus, & juramentum fidelitatis ejus tunc Procuratori praestiterunt. Et cum interim populus Trajectensis de Electo restituendo, & si eis venia daretur, rursus in Civitatem revocando pertractasset, Dux ipse dolo & fraude quorundam feditiorum allectus, Civitatem Trajectensem clandestinè occupavit, eamque hostiliter diripuit, & ut scelus sceleri adjungeret, Ecclesias prophanare, illarumque bona invadere ac diripere, & auferre veritus non fuit. Quinimò quae ad Divinum Cultum erant destinata sacrilego conatu ademit, atque usurpavit.

Propter quae ipse Henricus electus tot undique molestiis, & ærumnis circumventus, ad dilectam in Christo Filiam nobilem Mulierem Margaretham Archiduchissam Austriae, pro dicto Carolo Rege, in partibus Flandriae Pro gubernatricem, necnon ipsius Caroli Regis in Ducatu Brabantiae, & Comitatu Hollandiae Procuratorem confugere, & adversus tam atrocem injuriam, & horrida facinora, necessariam opem implorare coactus fuit.

Et cum dictam Margaretham ad id promptissimam invenisset, & mox certus dicti Caroli Regis Capitaneus valido exercitu, magnis quidem sumptibus, coadunato, & sub signis constituto, in Ducatu dicti Caroli Duce impetum fecisset, ac Oppida sub ipso Duce violentè occupata recuperasset, & ipsum Henricum electum in sua Civitate, à qua ejectus fuerat, restituit; praefatus Henricus electus tot calamitatibus ope ipsius Caroli Regis tandem liberatus, animadvertens se, & Civitatem ipsam, ac tot Castra, & Oppida & Municipia ad suam Ecclesiam Trajectensem spectantia, non sine magna impensa, sibi què intolerabili, diutius retinere, nec de expensis pro exercitu in ejus defensionem, & subsidio comparato factis, praefato Carolo Regi satisfacere posse, ac cupiens dicto Carolo Regi ob tot in se collata beneficia gratiam aliquam referre, & demum suorum subditorum quieti & tranquillitati & securitati consulere, eosque ab imminutibus periculis, & futuris incommodis praeservare.

Ex praemissis, & aliis non minoris momenti causis, Civitatem ipsam, ac Oppida, Castra, Municipia & Loca partis inferioris Trajectensis ad ipsum Henricum electum, suosque Successores, Episcopos Trajectenses, ac Menslam Episcopalem Trajectensem legitime spectantia, cum illorum machinis, tormentis, bombardis, ac omnibus & singulis juribus, pertinentiis, jurisdictione temporali, necnon vassallis, officialibus, subditis & incolis suis in ipsum Carolum Regem transtulit & transfudit.

Ac omnes excusias, census, redditus, emphyteoses, terras, pascua, decimas, vineas, sylvas, Jura Patronatus, tam laicalia, quam castralia, necnon omnia telonia, & telonorum jura, studia, vassallagia, dominia, & ut vulgò dicunt altas, medias & bassas Jurisdictiones, & demum omnem temporalem & saecularem Jurisdictionem, aliaque servitia & jura, quaecunque ad eam ratione dictae Ecclesiae Trajectensis, in Civitate, Oppidis, Castris, Fortalitiis, Terris, Locis, Dominis, & utraque Patria tam Transyellana, quam Cisyellana praedictis quomodolibet spectabant, cum omnibus & singulis eorum pertinentiis & appenditiis, ac libris Feudorum, ac reddituum, chartis, registris, computis & aliis scripturis praemissa concernentibus, praefato Carolo Regi, tamquam Bra-

bantiae Duci, & Hollandiae Comiti, pro se & Successoribus Ducibus Brabantiae, & Comitibus Hollandiae, seu ejus tunc legitimo Procuratori sub Sedis Apostolicae beneplacito concessit & donavit, ac in eum transtulit.

Nac! non omnes & singulos vassallos, officiales, subditos & incolas praedictos à juramento fidelitatis, & alia quacunque obligatione, qua sibi ut Domino temporali tenebantur, absolvit, eisque, ut à praefato Carolo Rege ex tunc de caetero auxilium implorare, illique, ac Haeredibus & Successoribus, tanquam Ducibus Brabantiae, & Comitibus Hollandiae hominibus, & juramentum fidelitatis praestare valerent, liberam licentiam expressè concessit.

Reservatà sibi, & Successoribus suis Episcopis Trajectensibus, sola Jurisdictione sua Spirituali per Civitatem praedictam, & Diocesim Trajectensem, unà cum Domo sua Episcopali in eadem Civitate consistente, & una alia Domo extra Civitatem in Diocesi sua Trajectensi sita, in qua ipse, & Successores sui Episcopi Trajectenses cum sua Familia, quietis & otii gratià confidere possent.

Sic tamen quod ipse Carolus Rex, Henrico electo, & Successoribus praedictis, nomine annuae pensionis duorum millium Caroleorum aureorum pro dote ejusdem Ecclesiae perolveret, ac praemissa omnia acta & constituta sunt, cum scitu & expresso consensu dilectorum Filiorum Praepositorum, Decanorum & Capitulum praedictae majoris & Collegiarum Sancti Salvatoris, Sancti Petri, Sancti Joannis, & B. Mariae Trajectensium Ecclesiarum.

Qui habità maturà consultatione, diligentique examine, ea omnia approbarunt, & rata firmaque & stabilia esse voluerunt. Ipsique Praepositi, Decani, Capitulaque, qui tempore, quo praefatus Henricus electus, Consulibus, Deputatis Patriae Cisyellanae hujusmodi per suas litteras concesserat, facultatemque tribuerat, ut dictum Carolum Regem in Dominum recognoscerent, ac illi hominibus, & fidelitatis juramentum praestare possent, à Civitate erant expulsi, nec in Loco Capitulari simul convenire & consultare poterant. Jam tunc de praemissis omnibus, quae tum temporis peracta fuerant, plenam notitiam habentes, matura cum deliberatione, debitisque & consuetis tractatibus praemissis, omnia per Henricum electum, & Consules & Deputatos Castrorum Patriae Transyellanae, vigore litterarum Henrici electi eis concessarum gesta & facta, in omnibus & per omnia approbarunt, & ratificaverunt.

Et insuper iidem Praepositi, Decani & Capitula plenè considerantes id, quod multis experimentis didicerant, propter electiones Episcoporum in discordia factas (cum alii aliò traherent, & suis quisque factionibus inhaereret, Civitatem, univèrsamque populum, atque etiam ipsosmet in ærumnas & calamitates frequenter incidisse) ne quid tale ex tunc deinceps eveniret, ultrò, ac spontè eidem Carolo Regi, tanquam Duci Brabantiae, & Comiti Hollandiae concesserunt, ut quoties contingeret Ecclesiam Trajectensem carere Pastore, nullus in eorum Episcopum eligendi jus, vel potestatem haberet, praeterquam ille, quem dictus Carolus Rex ut Dux Brabantiae, & Comes Hollandiae significandum, insinuandum, nominandumque duceret.

Adjicientes etiam, ut nullus in Decanum alicui ex quinque Ecclesiis antedictis praeficeretur, nisi qui ipsi Carolo Regi gratus & acceptus foret. Et cum tunc Procurator dicti Caroli Regis praemissa omnia approbasset, acceptasset, & rata habuisset, ipsi Praepositi & Decani tam Procuratorem, quam Henricum electum praefatos, ad majorem Ecclesiam committati sunt. Et ibidem Procuratorem in Tabernaculo decenter ornato collocarunt, Episcopo; & nonnullis Praepositis ac Decanis earumdem Ecclesiarum in suo quisque Stallo, ut moris est, constitutis, & deinde Hymno *Te Deum Laudamus*, alta voce jucundè & alacriter decantando, ac Missa

solemni à quodam Episcopo celebratâ, rursus Henricum electum, & Procuratorem præfatos ad Domum Episcopalem comitati sunt.

Electoque ibidem relicto, mox dictus Procurator, Prælati & Nobilibus plerisque comitantibus, ad publicum urbis Palatium se contulit, atque inde ad Domum privatam cujusdam Civis fati magnificè instructam divertit, pullatâque Campanâ, ad cujus sonitum populus in unum convenire solet, Nobilibus, aliisque dictæ Civitatis Ordinibus in conspectu ejusdem Procuratoris congregatis, præfataque juramenti formulâ, quâ communi dicto Carolo Regi erant præstituri, populus univèrsus denudato cujusque capite, duobusque digitis dexterae manus sursum erectis, juxta morem, qui jurejurando inibi observatur, solemne juramentum præstiterunt, & vicissim dictus Procurator ipsius Caroli Regis nomine, eos honestè, beneque tractare, & ab ingruentibus malis, & periculis protegere & tueri, ac in omnibus boni, clementissimique Domini Officio fungi promisit, & ad ea observanda jurejurando se astrinxit.

Quæ omnia tam Henricus electus, quam Capitula præfata proponi fecerunt in Consistorio nostro coram nobis, petentes ea, ut stabiliora sint, ac plus roboris & firmitatis obtineant, Apostolicâ auctoritate approbati, ac confirmari, ac de novo concedi: Nos igitur, habitâ super his cum venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, maturâ deliberatione, & discussione, Electum, & singulares Personas Capitulum hujusmodi, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quâvis occasione vel Causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum ferie absolventes, & absolutos fore censentes, de eorundem Fratrum Consilio, & ex certâ scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, translationem temporalis jurisdictionis Civitatis, Castorum, & Oppidorum, tam Partis Transylvellanæ superioris, quam Partis Trajectensis inferioris, ac aliorum jurium prædictorum, in ipsum Carolum Regem, tanquam Ducem Brabantia, & Comitum Hollandia, ac illorum Donationem, ac alia per eundem Henricum electum, de eorundem Capitulum consensu facta, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & confirmamus.

Præterquam quoad cassationem pensionis, in eventum unionis Mensæ Episcopalis Trajectensis, beneficiorum Ecclesiasticorum valore dictæ pensionis.

Supplentes omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem, ac potiori pro cautela Civitatem, & Castra, ac alia jura prædicta eidem Carolo Regi, & Successoribus suis Ducibus Brabantia, & Comitibus Hollandia, in perpetuum de novo concedimus.

Ac electiones per Capitula ipsa in Episcopum Trajectensem, absque ipsius Caroli Regis, & Successorum suorum Ducum Brabantia, & Comitum Hollandia, prædictorum nominatione, nec non Electiones Decanorum Ecclesiarum hujusmodi, illorum Decanatum occurrente vacatione, de aliis personis, quam Carolo Regi, & ipsius Successoribus præfatis, gratis, & acceptis, pro tempore factas, nullas, nulliusque roboris vel momenti existere, eadem auctoritate decernimus.

Quocirca venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Panormitano, & Episcopo Castellimaris, ac dilecto Filio Decano Ecclesiæ Sancti Lebuini Daventriensis, Trajectensis Diocesis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios Carolo Regi, & Successoribus suis prædictis, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, fa-

cient auctoritate nostra præsentibus litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos litteræ ipse concernunt, illis pacificè frui, & gaudere.

Non permittentes eos desuper contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, inquietari, & perturbari. Contradictores auctoritate nostra per Censuras Ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, non obstantibus felicis recordationis Pauli Papæ Secundi, Prædecessoris nostri, & quibusvis aliis Apostolicis, etiam in Conciliis Generalibus editis, similes approbationes fieri prohibentibus Constitutionibus; nec non majoris, & Ecclesiarum aliarum prædictarum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, & Indultis Apostolicis Episcopo Trajectensi pro tempore existenti, & dictarum Ecclesiarum Capitulis, sub quibuscumque tenoribus, & formis concessis, approbatis, & innovatis.

Quibus omnibus, tenores illorum præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâ in suo robore permanens, hæc vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, concessionis, Decreti, Mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Domini MDXXXI. XIII. Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno VI.

PAULUS TERTIUS.  
PONTIFEX CCXXIV.  
ANNO DOMINI MDXXXIV.

**P**aulus Tertius, Alexander Farnesius prius nominatus, Anno 1534. ad Pontificatum evectus, Concilium Tridentinum inchoavit. Societatem JESU, & Congregationem Ursulinam confirmavit: Morti proximus lepidè dixit, maluisse se Culina Fratrum Capucinarum totâ vitâ inservisse, quam Papam fuisse: Annos quindecim in hac dignitate vixit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. fol. 697.*)

Abbatiam S. Bavonis Ordinis S. Benedicti Gandavi supprimit, & è Monachis facit Canonicos Sæculares, & ex bonis ejusdem Monasterii erigit insigne Capitulum, petente Carolo V. Imperatore: anno 1536.

PAULUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**S**'Acri Apostolatus Ministerio, meritis licet imparibus, superna dispositione præfidentes, ex commissi nobis Pastoralis Officii debito, ad singulas Ecclesias, & Monasteria dirigentes circumpectæ considerationis intuitum, illorum, ac in eis Altissimo famulantium personarum statum in-

terdum

I.  
Ex Op.  
Dipl. Mi-  
raei Tom.  
II. pag.  
1051.